





HARCHIES
ENCHIRIDION
MEDICUM
1573










3056
A



cole usu
am saluti
mirabilis
o merupu
e mesabi
gnume p
mento vi
nu. laude
eutia q in
o eod tpe
opati u no
alibi taq
iuo. exsol
o glatum
mes Ver
eue qnto
pdcan nosar
mt missar
e mstuitoe
mento heuti
sdom eiusd
am ad xpi
tmet. arca
oue ecclia
part. Unde
integro cele
ficio instr
am sacium
recolet plebs
oman pom
an quart
cimenti de
affectu pie
state instiui
emonis prim

r la granelle
moyenne de pelaure
e la racine de
a racine dasperge
ce de grem
e font cuyre en
en farre [illegible] ce
au matin

mede contre la peste
oir de la zarthyne
elle de [illegible] ung
t [illegible] on [illegible]
anc [illegible] pilles [illegible]
t le pas [illegible] pas [illegible]
prys le boire

[illegible]
[illegible] aqua [illegible]
clauso [illegible]
[illegible] mello [illegible]
[illegible]
[illegible]

feria quin
pentecho
fidelibz co
p totum
hoc sacram
ad salute
nouem ill
colam qu
discipłozz
ad plene
hmodi m
menti N
qz incep
menta a
tari Leg
actibz apl
pseuantes
apli z cu
ficationis
nibz. Stati
missionem
Melchisedec
pfens p
erat aut sac
Benedict ab
Benedict ab
s creauit c
a lia qui B
Memor sit d
ni holocau
fiat. P. Tau
Parat nob
dus adiutus o
nos P. Dño c
e pctus cis r

Pour la gravelle

Prenez de la moyenne de pelure
du fresne de la racine de
fresgon de la racine dasperge
de la semence de grem
et faire le tout cuyre en
vin blanc et en faire boire
au patient au matin

Remede contre la peste

Il fault avoir de la rarthymie
et de la fueille de sureau ung
oignon rouge autant que ung gros [illegible]
et du vin blanc et piller le tout
ensemble et le passer par ung
linge blanc et puys le boire

℞ saluiae rorismarini ~~ana~~ [illegible] m. i [illegible]
ʒ iij [illegible] aquae [illegible] quantitate
[illegible] clauso [illegible]
[illegible] dissolve [illegible]
pro [illegible] dosibus [illegible] ~~[illegible]~~
~~[illegible]~~ [illegible] ~~[illegible]~~ [illegible]
[illegible]

♈ ♉ ♊ ♋ ♌ ♍

♎ ♏ ♐ ♑ ♒ ♓

⚹ □ △ ☍

♄ ♃ ♂ ☉ ♀ ☿ ☽

Herbæ dispensantur manipulis
flores pugillis
Radices granis, et aliis ponderu generib.

Libræ			℔
Semis			s. ß.
Quadrantis			qr.
Unciæ			℥.
Drachmæ	nota		ʒ.
Scrupuli			℈.
Grani			g.
Manipuli			m.
Pugilli			p.

Libra continet duodecim uncias unde hoc est duodecima pars illius. Uncia constat octo drachmis. Drachma tribus scrupulis. Scrupulus duos pendet obolos. Obolus demum pars est sexta drachmæ continens siliquas tres. Siliqua tritici grana quatuor. Manipulus seu fasciculus nota quod manu cotineri, pugillus quod pugno compressisq; digitis comprehendi potest.

b

Harches

ENCHIRIDION MEDICVM,


SIMPLICIVM PHARMACORVM, QVÆ IN VSV ſunt, nomenclaturam, Hiſtoriam, Facultates & Adminiſtrationem,

Breui, elegante, fidoq́; poemate comprehendens:

IODOCI HARCHII MONTENſis medici, ſtudio & labore.



BASILEÆ,
Excudebat Petrus Perna,
M. D. LXXIII.



ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO D. VVILhelmo Lantgrauio Haßiæ, Comiti in Catzenelnbogen, Dietz, Ziegenhaim, Nidda,&c. Domino & principi suo clementiß.

Iodocus Harchius Montensis, medicus Argentoratensis, S. D. P.



QVANTA sit medicinæ dignitas vel ex eius fine qui sanitate terminatur cuilibet pro demonstrato esse potest. Proinde cùm viuere bruta pariter & homines totis expetant conatibus, meliusq; iuxta Platonem sit & præstabilius esse quàm non esse, quanto optabilius erit bene esse & bene viuere? Id quod citra sanitatem neminem consequi posse vel certius eße arbitror, quàm vt multa probatione egeat. Cùm igitur duplici parte constemus, anima scilicet & corpore, si vtriq; bene eße volumus, vtriusq; quoq; sanitatē incolumitatemq; venabimur. Iam cùm cōstet has nostri partes præcipuas, id beneficij à medicina expectare debere, quis inficias ibit in posterum hāc disciplinam & cōmoditate & præstātia sui reliquas antecellere? Porrò corpus nostrum medicinæ beneficio & bene & melius habere posse, nemo forsitā negauerit, at quòd

anima inde aliquod ſui aut præſidium aut ornamentum accipiat, erit qui merito dubitare poßit, coquod nomenclatura philoſophiæ quæ excolendæ animæ dicata diſciplina videtur, & medicinæ officiorum muneruműq; proprietatem in diuerſa partiri videatur. Verùm ſi teſtibus, ijsq; minimè ſuſpectis, hæc controuerſia dirimenda eſſet, & aſſertio noſtra iure præſcriptionis confirmanda, facilè appareret vtrasq; diſciplinas olim fuiſſe coniunctas, & ſemper alteram alterius adminiculo vſam ad omnimodam ſui perfectionem claritudinemq;. Id quod inſignis ille vtriusq; ſcientiæ excultor Galenus ſatis ſuperq; aſſeruit, edito in eam rem libello, cui titulus: Quòd optimus medicus idem debeat eſſe philoſophus. *Verũ, quid opus teſtibus? Si enim vnius & eiuſdem artificis eſt domum ædificare, & qua illa ſui aut putredine aut defectu corruere poßit, noſſe, quo futuro lapſui prouideat, aut iam labenti ſuccurrat, nonne à ſimilitudine rationis, eiuſdem erit hominis medicinæ ope & animæ ſuccurrere & corpori, cùm alterum alterius ſubinde ruinam promoueat, & contrà, vbi partium inter ſe ſympathia conueniunt, ambo in alternam amicitiam longæuitatemq; conſpirent? Quòd ſi artifex quis quantumlibet etiam in arte conſummatus, nullum poteſt perfectum ſuæ cognitionis exemplar prodere citra debitam inſtrumentorum quibus eſt opus aptitudinem, neq; contra inſtrumentorum polities quicquam poteſt illuſtrare tenebras exemplaris, niſi illi excultum artificis ingenium faces ſubminiſtrarit: quomodo precor anima quantumuis & na-*

turæ

turæ & creationis bonitate illustris, poterit modestis actionibus sui sublimitatem commẽdare foris, in intemperato corpore? Siquidem cum ipsa neq; per se in corpore habitet, neq; corporeis omnino vinculis retineatur, sed spiritus cuiusdam utriusq; naturæ participis intercessione in suum hospitium suscepta sit, ad cuius conditionem ipsa plerunq; suas actiones inclinat, quomodo non interdum spirituum intemperie concitata, intemperatas & malè sanas actiones depromat? Quibus si & diutius & feruentius incubuerit, nonne fieri potest, vt dum alterna huiusmodi violentorum motuum vicissitudine plus iusto excanduerit, suffocantis domicilij impatiens hospitem deserat, vnde mors & vitæ finis subsequitur? Itaque cùm ex intemperato corpore temperatum efficere posse, ex immoderato moderatum, ad medicinā pertineat naturæ subministrantem: cumq; ipsa temperies corporis temperatum sanguinem gignat, temperatus sanguis benigniores spiritus, benignitas spirituum aptissimum sit ad animæ sanas perfectasq; actiones instrumentum: quis postmodum de præstanti medicinæ dignitate dubitabit, vbi certior factus fuerit, illam non corpori modo sanam lõgæuitatem, sed animæ quoq; cum illo pacificam diuturnãq; hospitalitatis iurisdictiomem conciliare? Quòd si rei alicuius aut dignitas aut pulchritudo, ex difficultate eiusdẽ spectanda est, quis nescit, Dij boni, per quot sciẽtiarum labyrinthos, quot axiomatum anfractus, quot experientiæ tramites, quot artis methodos oberrandum, deniq; in quantas contemplationis abys-

ſos penetrandum, priuſquam ad cognitionis ipſius faſtigium peruenias? Quod vbi quis attigerit, non immeritò diuinitatis formã & vim aſſumpſiſſe ſibi videtur, dum improbitate laboris eo peruenit, vnde pro nata occaſione tuẽdæ recuperandæq́; valetudinis media ſibi deligere poßit, quæ ex deorũ veluti manibus deſumpta ad ſubleuãdam corporum ruinam applicare valeat. Verùm vt iſta re potius quàm verbis videar extuliſſe, poſſem vel multorum experimento facere, qui aliquãdo per diſciplinæ huius labyrinthos errabundi didicerũt quicquid in illis vel eſt aditu inacceſſum, aut intellectu arduũ, aut cõprehenſu difficile. Ex quibus etſi non defuerunt qui præclara facti memoria cunctis ſtrenuè deuictis difficultatibus, tandem in huius diſciplinæ ſummitatem perreptarunt, eamq́; veluti tropheum quoddam omnibus intuẽdam oſtentarunt, non ſum etiam neſcius quot extiterũt, qui vel ſolum limen ingreßi ĩgẽti & ſuæ perſonæ periculo, & famæ dedecore auſi ſunt aut delineare figuris, aut verbis exprimere, quidnam ibi aut viderint auxilij, aut repererint quæribundi. Ex quo minus ſperare poſſum id vnquam felici ſucceſſu à me fieri poſſe, qui non ita pridẽ ad eiuſmodi labores, ueluti poſtliminio, vel inuitus reuocatus ſum. Geſtit tamen animus amore ſimul & reipubl. & maximarum rerũ tum pulchritudine tum cõmoditate permotus ad poſterorum memoriã patefacere, quid vel in ipſo viderit labyrinthi ingreſſu, vel audierit in receſſu: vt dum medicinæ magnitudinem probare uolumus, uel ex ipſis vnguibus leonẽ (quod aiunt) colligere

ligere poßis. Prodijt igitur primo in conspectum pugnãtium inter se elemẽtorum, seq; inuicem miscentium primorũ corporum summis qualitatibus praeditorum informe quoddã & rude simulachrum, quod vbi tãdem in formã se redigi consensit & vnionem, mox infinitã rerũ multitudinẽ effudit: quarũ qualibet diuinum quid à supernis in intimos sui recessus accipiẽs, tum verae essentiae & denominationis, tum singularis actionis vim suscepit, cuius munere successiuae regenerationis sui accepit priuilegium, vt sic haeredis perpetuitate gaudens ab interitu sese vindicaret. Caeterùm cùm sub tam horrendae rei contemplatione animus penè subsideret, & ex abrupto consilio resilire vellet: Recede (inquit archiater quidam) si voles, intuenda tamen tibi est omnis haec generationis series, siquidem aut tuendae aut instaurandae sanitatis desiderio teneris, quo aliquando cunctis hisce rerum generibus in suas species diuisis, per proprietatis naturã, singula ab inuicem indiuidua secernere discas, vt si quod illorum ad hominis sanitatẽ faciat, iam memoriae cõmendatũ in opportunos vsus reseruetur. Et quãquam huius infinitae multitudinis apprehẽsio impoßibilis meritò videtur, sicuti est: conandum tamẽ, & memoriae viribus enitẽdum, vt si non omnium, plurimorũ tamẽ natura cognita sit, eorum praesertim quae vel occulta, vel manifesta sui qualitate corpora nostra immutare possunt: his enim veluti commodißimis instrumentis vtimur, quoties vel sanitatem tueri, vel amißam recuperare volumus. Quid alioqui proderit (inquit) totius

corporis naturam eße contemplatum? quid oßium omnium inter se articulationem? quid symphysim intuitum? quid vinculorum in illis structuram? quid oblinentem oßium extrema cartilaginem? quid neruorum adnotasse originem, munus aut propagationem? quid musculorum infarcientem, & veluti villosorum filamentorum rimas explentem, carnosam attigisse substantiam? quid illius voluntatis imperio deseruientem mouendi facultatem percepisse delectabit? quid animalis spiritus in omnes musculosos recessus à cerebro per neruos veluti luminis à sole considerasse defluxum? quid venarum ab hepate, neruorum à cerebro, arteriarum à corde pererrãtem ad vitæ nutritionisq; neceßitatem in vniuersum corpus fuisse admiratum? quid inde seminis ad perpetuam indiuidui subsistentiam mirabilem facultatem considerasse procreatam? ad quid longa illa & solutione sese semper implicãs tot ingeniorum de humani corporis tẽperie diatriba? ad quid semper veluti in Epochen desinens tot eruditorum de primigenij calidi substantia, situ, differentia, disceptatio? ad quid illa inextricabilis de animæ origine, facultatibus, habitatione? ad quid de naturæ sagacitate, in attrahẽdis alimentis? de eiusdem indicibili conatu in propellendis superfluis? de occulta eius vi in concoquendis cibis enata axiomatum tanta turba? quorsum etiam vbi ex eorum in corpore constante, & officio & symmetria iusta valetudo & credita opinionibus, & stabilita decretis, contra ex eorũdem vel intẽperie, vel immoderamine, vel solutione cõtinui morbus veluti quodam

quodam præconio insinuatus est, oportuerat tot canones exarasse de dignoscendis locis affectis ex actione læsa, doloris proprietate, excrementis, situ, & proprijs accidentibus? Cur erat necesse ad indagandã humorum in corpore differentiam toties inculcasse, aut esse intuendã in vrina, excremẽtis alui & pectoris, substantiam, chymosim, quantitatẽ, colorẽ, contẽta, aut certè in ægrotante corporis habitum, animi mores, insomnia, excremẽta, functiones, colorem, tẽperiem? Postremò, vt paucis totã rem expediam, quãti momẽti est ad librandum vitalis facultatis robur illius in arterijs ex systole & diastole proportionatam pulsationem expendisse, tum ex huius celeritate caloris animaduertisse copiã, ex illius verò propellẽdæ fuliginis necessitatem, tandem & ex intermissione, raritate, paruitate, inæqualitate, defectu dijudicasse, aut à febrili calore nutantem cordis temperiem, aut à frigiditate labantem, aut humorum illuuie oppressam? quãti (inquã) pendẽdum est, in horũ omnium cognitionẽ tot annos desudasse, tot eorundem gratia propriæ valetudinis tulisse dispendia, tantùm rerum suarũ fecisse naufragium, tot deniq; tandem inuenisse laboribus qua methodo amissa valetudo restitui in simplicibus partibus aut resarciri in cõpositis possit, nisi etiam materiam habueris cognitam, cuius ope aut eiusmodi ægritudinum incommoda pelli consueuerunt, aut sanitatis retineri solatia? Quicunq; itaq; omnes in illis contẽplationis suæ neruos intẽdere contenti à simplicium medicamẽtorum inquisitione desistunt, & tamen medicinæ scientiæ aut capiãt lau-

dem, aut honores adipiscũtur similes proculdubio haberi possunt egregijs scilicet construẽdorum ædificiorum magistris, qui diserte quidem de auleis palatiorum, de cardinibus, antipagmẽtis, telamonibus, subdialibus deambulationibus, postibus, columnis, pyramidibus, & eiusmodi apte in ædium formam cogendis, & substituendis edisserunt, delutamẽti interim, marmoris, cedri, cupreßi, malleorum, securis, deniq; materiæ ipsius, neq; faciem agnoscãt si proponatur, neq; vim curent, si requirantur. His igitur tanti viri & authoritate & monitis allectus, ex incredibili noscendorum simplicium desiderio in abyssum de qua diximus, præcipitari me passus sum: sed cùm tenebras vehemẽter abhorrerem, diuerte, ait Archiater, ad læuã, inuenies q tibi iter suo lumine cõmonstrent. Acceßi, & ad illorum lucernas qui mihi Barbari videbantur, facem meæ sedulitatis admoui. Sed cùm ab eis locus parum illucescere videretur, eiusmodi hominibus valere iußis quos appellari audiebã Alcantios, Mesués, Auicẽnas, Serapiones, ad dexterã cõuertor. Mox visa est non procul, reuerendi admodum, & (vt dicebat mihi comes) humanitate simul & eruditione suspiciendi populi multitudo, quorum pars expatiabatur in amœnißimis viridarijs, pars ad montium repebat summitates. Vidi qui in collibus essent aßidui, alij in glareosis & irriguis locis frequentes. Erant qui in terræ cauernas penetrabant, alij herbarum comantem summitatem decerpebant. Hi caulium, radicum, foliorũ, formã, saporẽ, vim, odorem, sensuum quidẽ omniũ, sed adhibita interdum rationis au-

nis auxilio dispiciebant. Isti veluti attoniti pullulantibus fruticibus astātes, & plantarum germinationem intuentes, non prius decedebant quàm adultas senescentesq; conspexissent. Aderant qui inoculandis arboribus vacabant, insitionibus nonnulli, repastinationibus alij. Pleriq; aut hortulano mangonio ex odoratis herbulis commoda viticulosorum ramusculorum intricatione topiarium opus exercebant, aut hortorū puluillos adornabant. Vidi & alios quorum quilibet manu auream plantam prætendebat: cuius rei cùm ego sollicitus causam expiscarer, Ne (inquit comes) aut te suscepti itineris tædeat, aut pudeat propositi studij, intuere in auro æternū inuentionis herbarum monumentum, in hominibus collige eximiam earum vtilitatē, quorum maximam partem etiā in regio fastigio cōstitutam non piguit dimißis quæ vulgus admiratur fortunæ blandimētis, ad eiusmodi rerum inquisitionem sese dimittere. Idq; quoniam sibi persuasum habebāt, vel ex solo vnius plantulæ inuento, sedulitatis gloriam apud posteros durabiliorem futuram, quàm aut ex multiplici de hostibus victoria, aut superatis regnis triumpho. Vidésne (inquit) eum qui per vmbrosa aquosáq; illa loca iuxta montem deambulat, manu gerentem plantam, folijs proximè radicem Iuglandi Plantaginiúe similibus, subrubris,, dissectis circa cacumen, caule cauo, geniculato, ex interuallis foliato, radice crassa? Is profecto Gentius est Illyriorum rex ille, qui nunquam intermorituram sui nomēclaturam simul & memoriā reliquit, indito illi herbæ Gētianæ nomine:

Et eo profecto, quam aut ex subiugatis regnis aut instauratis vrbibus, clariorē, quo maius est beneficium illustrißimo homini vitam restituisse, quàm inanimatis rebus ornamentum addidisse. At effatu, nedum explicatu arduum esset, enumerandoq; comprehēdere velle impoßibile, omnes qui ex serpentum morsibus vitam alioqui cum morte cōmutassent, nisi eiusdē herbæ maximo & efficacißimo remedio fuissent adiuti. vt interim omittam eos qui ex eiusdem succo epoto in neruorum conuulsionibus, doloribus lumborum, iecoris stomachiq; inextricabilibus malis & inuenêre remedium & sensere refrigerium. Quid, quod & regiæ stirpis mulieres tot illustrium quos nūc cōspicis virorum & gloriam æmulatæ sunt, & honorem affectarunt? Prospicis'ne duas illas nūc indiuiduæ societatis gaudio exultātes, olim verò pulchritudinis & fama & veritate gloriabūdas? Quarum altera Menelai illius vxor herbam propriæ inuentionis prætendit nomine helenium: altera Mausoli regis coniunx Artemisiam? Earum ego si plantarum tibi iusta oratione attentauero explicare vires, aut reipsa efficaciam exprimere, non dubito quin mox ad venerandam quæ in ipsis refulget diuinitatis potentiam, ex his thuriferis arboribus incensum sis adoliturus. Proinde aude ad imitationem, præclarißimorum virorum quam potes maximam in indagatione simplicium operam collocare. Vt aut nouæ inuentionis beneficium (si quod consequeris) cùm æterna tui memoria ad posteros transferas, aut si lentior inter vulgares substiteris, ipsemet cùm opus erit

reperta-

repertarum herbarum viribus adiutus, proprij corporis ægritudinem depellas, & iam festinantem ad aliquot annos senectutem remoreris. Si quid erit quod in nomenclaturis herbarum anxium te reddat, si quid quod in iconibus & facie earundem sollicitum faciat: si aut negociorum turbinibus impeditus, aut tempore exclusus nequeas liberè per tot spatiosos campos diuagari, tot errare per montes, tot tranare maria: accede audacter ad turbam illam virorum quam in hortis illis hesperidum & deambulantem vides, & cōfabulantem audis. Græci sunt, ea in omnes humanitate, vt nullius dedignentur societatem: ea comitate, vt salutati neminē non resalutent. ij sunt inter quos audisti (opinor) iactatū illud πάντα τὰ τῶν φιλῶν κοινά. Quorum si forsitan lingua non est tibi solidè perspecta, & conterraneorum tuorum magis contubernio delectaris: respice illa duo flumina, Scaldem & Sequanam appellant: intuere Belgicam tuam regionem, & ad Rheni tractum florentissimam Germaniam, vbi expatiantes fortè inuenies tum eruditione insignes, tum rei herbariæ peritissimos D. Leonardum Fuchsium, Hieronymū Tragum, & Rembertum Dodonæum. Quòd si dignabere & ad flumē Garumnam vsq; pergere, & Celticam Galliæ partem reuisere, inuenies illis non imparem eruditione, Iohannem Ruellium. At si illinc patiêre te iocunditate rei herbariæ duci in Italiam vsq;, reperies D. Andream Matthiolum in plantarum difficultatibus enodādis facilè principem. Hactenus me Archiaterille affatus disparuit: cuius tamen haud imme-

mor consilij, vbi iam ab ipsa adolescentia errabũdus per saltus, lucos. flumina, mõtes, herbarũ gratia exiguo certè cum fructu, idq; impediente multorum annorum morbo, & voluntariè suscepto causa religionis exilio deuiassem, frustraq; ad optatum cognoscendarum herbarum scopum anhelarem sacratioribus studijs occupatus, hoc saltem mihi faciendum censui vt ex aliorum scriptis adhibito quo possem iudicio plantarum & delineationem & nomenclaturã decerperem, earumq; vires in metricum quoddã compendium memoriæ iuuandæ gratia redactas, ad perpetuum meæ diligẽtiæ testimonium, ad Dei gloriam in lucem emitterem. Id quod quantum rei herbariæ studiosæ iuuentuti profuturum sit, malo ex ipso rerum euentu, quàm ex magno verborum meorum encomio innotescat. Interim quia vereor ne barbara forsitan & parum concinna libelli huius compositio, sit occasio, vt preciosa & non indigna aliquando regibus quam continet rerum supellex aut conculcetur à fastidiosis, aut dissipetur ab ingratis, aut denique dilaceretur ab inuidis, vt ei incommodo quam fieri posset tutissimè occurrerem, nihil mihi præsentioris suppetebat consilij, quàm si totum, illustris alicuius principis protectioni cõmitterem, quod scirem principum etiam virorũ inuentione constare simul & thesauro. Vnde fiet, vt custodis maiestatem reueriti maleuoli homines, rem ipsam & tractent reuerentius, & interim rei compositori minus petulanter insultent. Verùm quis mihi potius è tot illustrium principum numero seligendus erat, quam Celsitudo

tua,

tua, ex ea familia originem trahens, quæ vt ſemper in ſynceræ pietatis & religionis cultu egregia ſecuta eſt à maioribus relicta exẽplaria, erga liberalis quoque eruditionis cultores tum propẽſæ volũtatis, tum ſapientiæ ad poſteritatẽ ſuccenſos in te reliquit igniculos. Cuius rei fidem toti orbi facis, cui non ſatis fuit regio quodam ſanguine illuſtratũ eſſe, niſi quod regia omnia ſtemmata ſuperat, diſciplinarum quoque omnium encyclopædiam & circumferres & abſolueres. Accedit ad ea, mirum quoddam rei herbariæ ſtudium (vt audio) quã in rem non minores facis ſumptus in pulcherrimo illo horto tuo, quam vel Mauſolus rex in iuuanda vxoris ſuæ induſtria quæ nobis Arthemiſiam dedit, aut Gentius Illyriorum rex, qui Gentianæ plantæ nobiliſſimæ extitit inuentor. Vt igitur hortum illum tuum quo ſic delectaris non ſolum videre oculis, ſed & manibus quo voles circumferre quodammodo queas, en Celſitudini tuæ illius typum quendam & dedico & mitto ſupplici prece expoſcens, vt hanc animi mei & beneuolentiam & gratitudinem erga Celſitudinem tuam ſuſcipias, non quia hoc vlla huius operis laude meritus ſum, ſed quia mereri conatus. Det interim Deus Opt. Max. vt iſta animi tui ornamenta tibi ad ſalutem, reipub. Chriſtianæ ad tutelam in dies auctiora perſeuerent. Argentorati pridie Calend. Febr.

Anno Domini 1573.

Authoris ad Lectorem.

Si tibi cor rapido, & venter torretur ab igne,
Si dolet à flatu nocte dieq́ue caput,
Si vitio fuluæ renes torquentur arenæ,
Vrinæq́ue via eſt ſi tibi clauſa tuæ,
Siue ſenex grauibus ducis ſuſpiria bronchis
Si tremit aſſumpto peſque manuſq́ue cibo,
Nec benè nodoſæ perfers tormenta podagræ,
Nec ſiccas pateris ſemper hydropis aquas,
Deniq́ue ſi prima vix ſoſpes origine langues
Et petis his Phœbi munera certa malis:
Huc ades, exiguis voto potiere locellis,
Et Coi referes munus opemq́ue ſenis.

DE SIMPLICIVM MEDICAMENTORVM FACVLTATIBVS, QVORVM EST in officinis vsus potissimum, Poematium.

AVTHORE
IODOCO HARCHIO
Montensi.

ABSINTHIVM.



ONcedit gelido qui tetra Absinthia ventri
Aspiciet vitæ tempora longa suæ.
Cruda etenim toto depulsa è corpore bile
Natiuus membris redditur inde calor.
Quod si te multis febris vexauerit annis,
Si sitiens redeat nocte molestus hydrops.
Si vermes feriant cor, siue venena cicutæ
Hoc bibe de succo terq; quaterq; libens.
Sic multo laßum firmabis robore corpus,
Sic reges solita menstrua virgo die.
Sic nimio interdum distentus viscera Baccho
Vitabis fœdæ damna sueta gulæ.

aluyne ou absinthe

ABsinthium. ἀψίνθιον. Italis Assenzo. Gallis vocatur Aluine ou absinthe. Brabantis Al-

ſem, Alſene. Germanis Wermut/Eltz. folijs eſt incanis & cineraceis, odoratis, multipliciter diſſectis, rutę ſimilibus, ſed maioribus & ſapore amarioribus, caulibus ſurculoſis, binorum cubitorum altitudine, qui aureos corymbos Iulio menſe ferunt. Naſcitur in areis aridis, & ad muros. Eſt porrò Dioſcoridi & Abſinthiũ Seriphium ſeu Marinum, cui ſimile Germani oſtendunt, vocantque Wormkraut ſeu Welſamen, & eſt ſpecies vel Abſinthij vel Abrotani frutex arbuſculæ ſimilis, ramoſus, flore luteo in vertice caulium, paſsim in cœmiterijs & ad muros luxuriat. Eſt tertia ſpecies Abſinthij, Santonicum appellant: profertque ſemen illud quod Agyrtæ vendere ſolent ad occidendos vermes præſtantiſsimũ, ſi detur cum melle, non cum lacte. Aſtringit vulgare noſtrum Abſinthium, ſed multò magis id quod Ponticum vocatur, quod etſi cum noſtro vulgari ſiue Romano ſpecie idem ſit, forma tamen & facultate nonnihil differt. Eſt enim & flore minore & folio, tum etiam odore gratiore.

ABROTANVM.

Pulſibus appoſitum febres depellere diras
Nouit, & ad pubem menſtrua tarda tuam.
Infrenat Tyrij clam pocula ſumpta veneni
Nec ſinit ad læuam cordis abire ſcelus
Herba oculi lenit flammas, vteriq; tumores
Et tremulum firmat ſæpe vorata caput.

Con-

Conuulsis prodest, ruptis, coxæq; dolori
Illine, deciduis quo medeare pilis
At bibe decoctum de semine, renibus ibit
Calculus, astricti pectoris asthma perit.

Abrotanum, ἀβρότονον. Ital. Abrotano. Gallis Aurone ou garderobbe. Braban. Auerrnyt, German. Stabwurtz & Gertwurtz. Officinis quibusdam Camphorata, calida & sicca herba est, & duorum generum, maius & minus, hoc folijs cineraceis & magis incanis quàm maius vestitur. Magnum verò Abrotanum virgas emittit prælongas, tenues & flexibiles, viridantibus folijs, vulgari Chamomillæ quàm simillimis, frutex est interdum ad viri altitudinem assurgens, odoris gratioris quàm minus, floret circa initia Augusti. Est etiam syluestre quoddam Abrotanum quod per terram spargitur, necè sese erigit, sed virgæ eius tenues humi procumbunt sicuti Centinodia, paucis & minutis folijs vestitæ, flosculi eius seu corymbi incani sunt. Nascitur in sabulosis, vbi nulla sunt senticeta, & in apricis. Germani eam vocant Besemkraut. Scopariam alij à multitudine virgarum quæ verrendis pauimentis idoneæ sunt. Magna est vis Abrotani contra difficulter spirantes.

ANGELICA.

Sumitur ad pestem, febres, ex puluere drachma
Radicis, Paphiæ sed malè grata Deæ.

Excutit & tuſsim, craſſumq́ȝ è pectore phlegma
Roborat & ſtomachum, cor recreatq́ȝ tuum.
Accelerat partum, tacito molimine menſes,
Anginæ & lateris ſiſtitur inde dolor.
Hinc poteris rabiem canis eneruare venenum,
Soluere vel Circes faſcina cuncta Deæ.

Angelica. Italis Angelica. Gallis Angelic. German. Heiligen geiſts wurtzel. Herba ſancti ſpiritus vulgò, calida eſt & ſicca, folia habet ad ficulnea quadantenus accedentia, magis diſſecta, ſerrata vndique per ambitum vti Branca vrſina, radix illi longa, liquorem croceum diſtillans, capillata interdum, fortiſsimi & odoris & ſaporis. Caulis illi eſt ſecundo aut tertio anno craſſus, cõcauus, nodoſus inſtar arundinis, in cuius cacumine inflati, & caui ſacculi naſcuntur, ex quibus vmbellæ exeunt luteis emicantes floſculis. Syluestris angelica eſt huic per omnia ſimilis, niſi quòd interdum florem fert candidum. Naſcitur angelica in locis vmbroſis & ſyluis, ſimillima Leuiſtico. Putatur eſſe Panaces Herculeum Dioſcoridis, cuius vires habet. Dicitur etiam Laſerpitium, quòd in veri Laſerpitij locũ (quo caremus forſitan) ſubſtitui poſsit. Præſtantiſsima eſt ad omnia, aqua è radice Angelicæ diſtillata.

AMYGDALVS.

Decoctum faciem decorat, capitisq́ȝ dolores,
Sanat, at inſeſſu menſtrua pigra ciet.

Conci-

Conciliant somnum fructus, & pectore crassos
Humores multa vi reuocare solent.
Hos age præsumas, qui curis liber, Iaccho
Exhausto seruis nocte dieq; mero.
Quò neq; vaniloqua turbes conuiuia lingua,
Ebrius, egesto dedecorere cibo.

Amygdalus, nota est, itē & fructus siue nuces, quarum sunt quædam dulces, quædam amaræ, & hæ potentiore siccandi facultate & calidiores. Ex ijs fit oleum amygdalinum, quod mirificè aluum soluit sumptum, duritiē membrorum mollit, siccitates humectat, lapillum è vesica prouocat, & tam oleum quàm lac ex amygdalis sumptum, inflāmationi pulmonum hepatisque auxiliatur: Puls tamen ex amygdalis, si ex aqua coquitur, in qua chalybs candens extinguitur, aluum lubricam astringit. Fiunt & ex amygdalis placentę, quas Marzipan vulgô vocāt, ægris aptiores quàm sanis.

APARINE.

Seminis expressus succus data toxica frangit,
Ebibe, si dolor est auribus inde tuis.
Sed tua si croceo cutis est fœdata colore,
Hoc color epoto sæpe liquore perit.

Aparine, ἀπαρίνη. Asperula siue aspergula aliàs. Italis Aparine. Gall. grateron. Brab. Cleefcruyt, German. Klebkraut. Pluribus ramis fru

ticat, exilibus, quadrangulis, asperis, orbiculato foliorum stellatorum ambitu, inuisa certis hortulanis.

ANONIS.

Collue, si dentis sæuos mulcere dolores,
Renibus aut lapidem vis terere, inde bibe.
At si prægelidum cupis expediisse tumorem
Ramicis, hinc sumpto puluere, pondus abit.

bugraue ou arreste boeuf

Anonis, *ἀνωνὶς*. Gal.. Bugraue ou arrest boef. Brab. stalcruit. Germ. Ochsenbrech, Heckel kraut, Stalkraut. Ramos habet fruticosos, dodrante maiores, flores Iunio mense fert: alios quidē dilutiores, alios prorsus candidos, phasiolis (quos German. Schwartz erweissen vocant) similes, folia ad rutam accedunt. Radix prælonga est, vt aratra & boues equosque arantes impedire et sistere queat. Calet & siccat ordine tertio & abstergit. Solebant veteres hanc herbam condire muria, priusquam esset spinosa, & eá edere aduersus fœtorem halitus.

ALISMA.

alisma

Qui leporem imprudens tetigitq́, hausitq́; marinū
Quæq́; es conuulsis fœmina mœsta locis,
Radicis tantùm contritæ pondera drachmæ,
Ex vino vitæ spe meliore cape.

Du-

Ducere sic menses discas, renumq́ue lapillos,
Soluere sic quouis membra tumore loco.

Alisma, ἄλισμα, quæ sit hæc herba vix dici potest: quidam Cotyledonem syluestrem esse autumant, quæ vnico constat folio elegantissimis folijs emicante, & vocatur Germanis Ein blat. Alij eam esse herbam putant, quæ in vliginosis & humectis locis prouenit & pratis, folio & radice Plantagini simillima, binis tantùm folijs, per quæ spica quædam erumpit Maio mense sese attollens, flore terete, & caule ad Satyrion accedente. Hanc vocant perfoliatam syluestrem, & aquaticā plantaginem. Cæterùm est in Germania frequens quædam herba, quæ Alisma esse potest, odorata admodum, & in Cœmiterijs frequens, ex qua placentas Germani condiunt: & ideo eas Eyer kuchen siue pfannkuchen vocant. Hæc primo Vere supra humum sese extollit, folijs Plantaginis lanceolatæ, per ambitum instar Betoniæ crenatis. Radix multis capillamentis fibrata, contorta vti Veratrum nigrum, per terram sparsa, odore graui, gustu amara, è qua terni aut quaterni exiliunt caules bicubitales, angustis vestiti folijs. At circa inferiores partes folia latiora sunt Solidaginis ferè, flores profert similes floribus Tanaceti, odore Balsaminam referentes, abstergit & calefacit.

ALSINE.

Phlegmona compeſcens, oculorum fluxibus obſtat,
Hanc ſubige ad ſcabiem, ſubtumidosq́ pedes.
Ad pubem quoties, veſicæ craßior humor
Vrinæ patulas, non ſinet eſſe vias.

Margeline

Alſine, ἀλσίνη. Ital. Alſine. Gal. Margeline, Braban. & German. Vogelkraut vocatur, aliàs morſus gallinæ affinis Anagallidi, ſi folia ſpectes. Vulgaris herba eſt in hortis frequens, ſponté prouenit vti Senecio, humi procumbit, radice tenui, capillata, caule ſucculento, molli floſculo exiguo, candido. Eſt ſecundum illius genus quod in hortis, agris & irriguis prouenit, in cubitalem aliquãdo altitudinem excreſcens, caulem habet geniculatum, vtrinque folia portulacæ ſylueſtris. Eſt & alia primæ ſimilis in vineis frequens, folio ſubaſperiori, ſerrato, inſtar Chamædrios vulgaris veſtita, floſculis cæruleis, inter alas ramulorum erumpentibus. Extat & quartum genus foliolis exiguis Thymo non diſsimilibus, floſculis ex albo cæruleis, quæ ſicuti ſuperior illa, ſerpendo per terram ſe propagat. Refrigerat Alſine & aſtringit, humectat quoque, habet vires portulacæ: aqua eius diſtillata, & per ſe vel in vino pota vtiliſsima eſt hecticis, & ijs qui viribus deficiunt, macreſcuntque, & in magnis caloribus febrium impedit ſpaſmum præſertim in pueris, pota.

ALOE.

Expurgat stomachum in vino cum mastice sumpta
Firmat, & ad somnũ corpora pigra vocat.
Illita temporibus capitis mulcere dolores
Præsidiumq́; oculi dicitur esse tui.
Cuius ab aßiduo morbos curaueris vsu
Mortiferos, tantum sit tibi drachma die.
Sanguinis & fluxus quacunq; hinc parte retundas,
Et quosuis vermes corporis inde neca.
Candidius crocea depictum aurigine corpus
Per ventrem ducta (credito) bile facis.
Vesicæ vlceribus, renumq́; medebere fœdis
Pocula de succo, si diuturna bibas.

Aloe: ἀλόη. Ital. Aloe. Gall. Perroquet, & in omnibus linguis vnum & idem nomen obtinet, in hortis hodie & figulinis plantatur, & nonnulli voluptatis gratia è laquearibus con clauium suorum suspendunt, & semperuiuum à perpetuo virore cognominant. Calefacit primo ordine intensè, siccat tertio, astringit & amara est, nocetque calidis & siccis naturis. Optima è Socotora Insula defertur. Folia habet Squillæ, cubitum longa, crassa, sibiq́ue inuicem incumbentia, pinguia, gustu amara, odoris fortisſimi, vtrinq; spinulis quibusdam armata, radicem longam, crassam, aduncis radiculis fibratam, florem in cacumine caulium album. Succus eius eligi debet qui sit rufi coloris, syncerus, quiq́; siccatus ad Iocinoris colorem vergat.

perroquet

ADEPS.

Calfacit, emollit, reserans humectat & acres
Obtundit fluxus, duraq́ lenit adeps,
Hæc eadem sumpta poteris sperare medulla
Ceruinæ palmam pro bonitate ferens.

graisse

Adeps, Ital. grasso. Gall. graisse ou suif. Brabant. vet, smout, speck. Differunt interdum adeps & seuum, quòd illud liquidius sit, nec durescit. Istud vt non facilè liquescit, ita liquefactum coit statim, & concrescit, estque in fine carnis semper. Omnis adeps calefacit & humectat, plus tamen aut minus pro natura animalium. Taurinus enim calidior est & siccior Porcino, vtroque magis & calet & siccat Leoninus. Proinde magis porcino vtimur cùm maturare volumus & emollire.

ANAGALLIS.

Ventris aquam purgat, telumq́ è vulnere vellit,
Obstat serpentum morsibus esa frequens.
Sæpe oculos crassa illustrat caligine cæcos,
Firmat & occulto viscera prima modo.

mouron

Anagallis, ἀναγαλλὶς. Ita. Anagallide. Gal. mouron, Brab. guychelheil. Germ. Gauchheyl, & Colmarkraut. Corchorus Plinio, ob cuius amaritudinem abijt in prouerbium, Corchorus inter olera. Duplex est, mas flore puniceo. Fœmina cæruleo: bini hi & teneri frutices ijsdem vestiuntur foliolis, eodem caule, & similibus sunt radicibus, in terra iacent sparsi vti Portulaca

laca aut Morſus gallinæ, folia hypericum æmulantur, quæ & bina ſibi inuicem vndequaque oppoſita cōſpiciuntur, ſubrotunda, caule quadrangulo. Calent & ſiccant citra acrimoniam, datur ſucci hauſtus ad peſtem.

ANISVM.

Diſcutit, inflatis ab aqua ſitientibus aptum,
Et ſtomachi & capitis tollitur inde dolor.
Lac generat, menſes ſiſtit, tuſsimq; repellit,
Toxica, ſingultus, corpore phlegma ſimul.
Præcipit hanc menſas Cytherea ſubire ſecundas,
Sic plures noctis ſufficit ipſa iocos.

Aniſum, ἄνισον. Ital. Aniſo. Gall. Anis. Brab. Anijs. German. Anis ſamen, quod nomen nonnulli Germani Coriandro tribuunt. Fœniculū Romanum quidam vocant. Folia eius prima Liguſtico paria videntur, niſi quòd magis rotunda & exilia, albicantia & odorata, ſemen albicat, caulem fert rotundum & concauum, cuius ſummitati vmbella candido floſculo ornata inſidet Pimpinellæ ſimilis. Calefacit ſemen tertio ordine, acre & ſubamarum. Quibus intumeſcit ſtomachus, eo vtantur.

anis

ASARVM.

Ruptis, conuulſis, tuſsi, capitisq; dolori,
Commoditas herbæ, non mediocris ineſt.
Internos pellit mira virtute dolores,
Fortiter vrinam manè reſumpta ciens.

Quod si cum musto macerabitur vncia mensem
Atque inde expreßam bis tibi sumis aquam
Nec te dirus hydrops, nec Regius extera morbus
Inuadet, nec cor, flamma nocensq; calor.
Nanq; leui vomitu sursum sic phlegmata duces
Sic diras coxæ continuasq; cruces.
Sed grauidis non est radix mandenda puellis,
Quæ fœtus solita est exposuiße rudes.

Cabaret

Asarum, ἄσαρον νάρδος ἀγρία. Nardus rustica. Ital. Asaro. Gall. Cabaret. Braban. Haselwortel. Germanis idem Haselwurtz. Vulgago Macrobio, barbaris Assara bacchar, quanquam distinctæ sint herbæ assarum, & bacchar. Nam istud fruticat folio aspero, caule anguloso. Asarum verò folia habet violæ, hederam exprimentia, supernè nigricantis viriditatis, infernè pallidioris & subalbidæ, plurimis venis ac neruis prædita. Inter radices & folia flores purpurei in vasculis exiguis, vti in hyosciamo. Radix illi odoris gratissimi inter sese contexta, fibrata veluti Polypodium. Calefacit & siccat: puluis radicis zaccharo, cinnamomo mixtus ac ʒ. pondere sumptus, vomitum prouocat sine noxa, datur quartanis ex vino vtilissimè, hora ante accessionem. Aqua eius distillata aperit, vrinam ciet, & cum tutia præparata, instillata oculis mirè discutit caliginem.

Vtilis

AMOMVM.

Vtilis hinc renum, podagræ, iecorisq; dolori,
Phlegmonis, & vuluæ sit medicina tuæ.

Amomum, ἄμωμον, verum aduehitur ex India, odore Origani. At ea herba cuius semen sub nomine Amomi Seplasiarij vendere solent binis acutis foliolis non secus atque Petroselinum pullulat, deinceps subsequuntur alia & maiora, & incisuris profundioribus dissecta. Caulem profert geniculatum, odore paludapij, flore exiguo, albo, & copioso, Iulio mense calefacit & siccat. amomum

ACORVS.

Sumpta aperit radix iecorisq; viasq; lienis
Sed reddit steriles in muliere locos.
Decoctum ciet vrinas, laterisq; dolores
Mulcet, & in sessu pro muliere valet.
Vtere conuulsis grato hoc medicamine neruis
Aut oculi maculis, grandinibusq; tui.

Acorus, ἄκορον. Ital. Acoro. Gall. grandegalange. Brab. & German. Calmus. Aut est vulgaris galanga, eaq; minor illa, radice aromatica non maior quæ acris quidem est, non tamen aromatica. Sunt qui putent Calamum esse aromaticum, quanquam is cuius meminit Dioscorides libro I. c. 17. non radix sit, sed calamus preciosissimus, quicquid sit, vnum hoc verum est, descriptionem Acori nulli Gladiolorũ conuenire si folia spectes, siue radicem quę inodora Gladolis est. Calefacit Acorus & siccat Grandgalange

tertio cũ acrimonia, qua caret vulgaris, quem Luteum appellant & aquaticum, qui potius adstringit, & Acorus adulterinus dici potest.

ALTHEA.

Ducta modo emplastri persanat vulnera radix,
Soluit, & abscessus illita cruda coquit.
Subuenit & tussi, ruptis, laterisq́ dolori,
Quicquid arenosi, ren legit, ista mouet.
Semina compescunt defluxus sanguinis, herba
Vrinæ morulas, sed facit esse breues.

Althea, ἀλθαία, ἢ ἴβισκος. Galeno Anadendromalache, hoc est arborescens Malua, officinis Bismalua. Ital. Althea. Gal. guymaulue. Brab. vuitemaluwe. German. Eilffwurtz, ybisch. Nascitur in locis pinguibus & humentibus, prope fossas & paludes, temperata in calore, radix & semen magis tenuium sunt partium. Candida est radix, fibrata adnatis radiculis, folia illi cineracia & lanuginosa, inter folia mollia & rotundos coliculos candidi, & interdum sublutei erumpunt flores campanulæ formam representantes, intra quos apices hirsuti & purpurei visuntur.

guymaulue

AMMI.

Quas tibi cantarides noxas peperere repellit,
Pallidus epoto semine fitq́ color.

Sub-

Subducit menses, et ventris tormina difflat,
Vrinæ solitas restituitq́ vias.

Ammi, ἄμμι, Hippocrati Cyminum regium. Mandandum hoc semen terræ in fine Aprilis erumpitque primò foliolis veluti Petroselinum, assurgit statim in rotundos, geniculatos, & surculosos caules, flore candido in vmbella. Semẽ calet & siccat tertio, subtilium partium, gustu acre & feruidum.

ADIANTHTVM.

Pulmonum vitijs est herba perutilis altis,
Quos solet infartu soluere sumpta suo.
Expellit bilem, crassumq́ è pectore phlegma,
Pallida purpureo membra colore nouat.
Hinc lapidem renum potu, mensesq́ propellit,
Deciduam firmans illitione comam.

Adiantum, ἀδίαντον. Ital. Adianto. Gall. Cheneux de Venus. Brab. vrouwen hayr. Germ. Frauwen har. Duplex est, vnum verum & inuentu rarum, quod nobis è peregrinis terris aduehitur folijs Coriandri, cuius pediculi nigri sunt. Alterum de quo hîc agimus, Ruta muraria est, quæ in iuncturis & scissuris murorum antiquorum prosilit, caule breui, non enim digitum excedit, frequenti, quippe è radice vna nigra & capillata sæpe quadraginta coliculi prodeunt, foliolis copiosis, forma rutę, & qua terram spectant aureis pustulis

cheueux de Venus

Iulio mense notatis vestiti, florem non profert. Simmetrum est in calore & frigore, cum siccandi vi quadam. Eadem penè vis & origo Thrichomani, quam Germ. Rotersteinbrech vocant.

ACANTHVS.

Conuulsis podagræ, radix superillita confert
Vrinam presso sumptaq; ventre mouet.
Aridaq; irrorat genuino membra liquore
In tabem strictum pectus abire vetans.

Acanthus, ἄκανθος officinis Branca vrsina, Ital. Branca vrsina. Gall. Branche vrsine. Duplex est, Verus & Germanicus, quem nonnulli Carduum benedictum esse volunt (nam de Branca vrsina Germanica postea dicemus) Verus qui Branca vrsina Romana cognominatur, folia habet quàm lactuca latiora, erucæ diuisura, nigricantia, pinguia, leuia, spinosa quoque, sed leuibus spinis seu nucumenta quædam longa referentibus, è quibus flos prodit albus, semen oblongum, luteum. siccat & incidit radix.

ANETHVM.

Conciliat somnos oleum, sed semine lactis
Copia fit, vomitu corpora plena leuans.
Vsta pudendorum sanans simul vlcera quorum
Exaret potu sed genitura, caue.
Vtere decocto singultibus, illine, vulua
Quodlibet & sedis tollitur inde malum.

Ane-

Anethum, ἄνηθον. Ital. Anetho. Gall. Anet. Brab. & German. Dyll, dillen, seu Hochkraut. Alsiosa est planta, quæ Aprili mense acutis foliolis è terra prosilit, post quæ alia admodum dissecta ac in staminis penè modum extenuata subsequuntur. Caulem profert geniculatum, surculosum, vmbellã floribus luteis conspicuam, radix breuis, lignosa. Calet & siccat ordine tertio, præsertim semen vstum.

andt

ARVM.

Crescentem radix consumit in vlcere carnem,
Atq; suo podagram, nocte calore coquit.
Excutit & menses, tußim de pectore, phlegma,
Sanat anhelosos pondere sumpta senes,
Hinc liquor abstergit faciem, quem munere sumas
Vulcani, aereas igne trahentis aquas.
Hæc eadem schirros, strumasq;, nomasq; coercet,
Et febrim quarto, quæ reditura die.

Arum, ἄρον. Ital. Aro. Gall. Pied de veau. Brabant. Calf voet. Germ. Pfaffenbind, & teutschē jngber. Latinis Dracunculus minor, quibusdam Arium. Folia habet pulchra, viridia, Betaceis penè similia, eaque vt plurimum quaterna aut quina, inter quæ dodrantalis assurgit caulis acutus, qui vbi in Aprili hiare cœperit, purpureum ostendit pistillum, quem complectitur vti lucerna lumen, atque hic Ari est flos, nam in eo acini rubri euadunt Autumno sic-

pied de veau

uti corallium. Radix oblongæ oliuæ similis, fibrata capillamentis. Enumerantur & aliæ Ari species huic penè similes, omnes insigni acrimonia præditæ, sed feruentissima est eius Ari radix, quæ maculata habet folia, & hæc ʒ. pondere, remediū est certum aduersus pestem & venena, idem facit succi herbæ cochlear addito aceto, ne linguam vellicet. Idem aqua potest.

AQVILEGIA.

Triticeæ ad scabiem confert permista farinæ,
Quæq; sinus faciunt vlcera, carne replet.
Seminis epoto cessabit puluere flauus,
Qui faciam fœdat, crede, cutemq́; color.

Aquilegia. Ital. Aquilia. Gall. Aucolie. Brab. Akelye. German. Agley: quidam Centaurium Germanicum vocant. Folia eius Chelidonio similia, incisa, dissecta, humi strata, caulis rotundus ac leuis, florem gerit duplici foliorum ordine stipatum quadam parte in corniculum inflexum. Flos etiam, alijs candidus, alijs purpureus, vulgaris cœruleus, radix candida, longa, crassior, fibrata, gustu dulcis.

AVENA.

Sistitur ex vsu venter laxatus Auenæ,
Decocti tussis sorbitione grauis.
His equus impulsus stimulis generosior ibit,
Cum tuba terribili prælia voce canet.

Auena,

Auena, βρῶμος. Ital. Vena. Gall. Auoene. Braban. hauern. Germ. Habern. Frumenti species est satis nota. Auena cibos salubres præbet, experientia testante, & teste ipso Galeno. Hippocrates putat humectare & refrigerare. Alij dicunt, quòd vt est cibus calefacit, vt medicamentum refrigerat. Pro hordeacea farina, hac licebit vti contra inflammationes more cataplasmatis.

ACONITON.

Hinc nocitura tibi Syrenes pocula fundent,
Si furis illarum stultus amore, caue.
Auris Vlyßæo vel sit tibi munere clausa,
Semina vel capias, quæ Paris herba dabit.

Aconiton, ἀκόνιτον. officinis vua versa. Ital. Aconito. Gall. tue loup. German. Eysen hutlin, Wolffs wurtz. Venenosa herba est, & multiplex, quam præstat occultare quàm delineare. Hoc scitu vtile, quòd Aconiton non sit herba Paris. Nam herba Paris folia quidem habet tria aut quatuor eodem ambitu crucis instar patentia, tamen in medio caule, habens in summitate, & alia quatuor, in quorum medio globulus semen continet, non quidem veneficum, vt putarunt quidam, sed contra omnia veneficia præsentissimum remedium. Iam an Aconitum sit Napellus, Auicennæ

credit Fuchsius, negat Matthiol. quòd Napello folia sint Arthemisiæ non Ciclaminis, flores caluariæ hominis similes, cuius venenum quoque nocentius est, cui remedium est mus quidam nomine Napellus, &c.

ATRIPLEX.

Discutiunt frondes, stomachum, ventremq; relaxāt.
Sunt flauæ auxilio semina (sume) cuti.

Atriplex, ἀτράφαξις. Ital. Atriplice. Gallis Bonne dame ou arroche. Braban. melde. German. Milten: est domestica, est syluestris: hæc ad ciendam aluum vtilior, vtraq; siccis naturis vtilis, vtpote frigida & humida. Culinæ vtilis & vsitata.

ARISTOLOCHIA.

Cum pipere & myrrha partus mensesq; refundit;
Febris & horrores sumpta rotunda fugat.
Obstat mortiferis iaculi, potusq; venenis,
Sordidaq; extergens vlcera, carne tegit.
Liberat & lenta glabrum pectus pituita,
Hinc dolor & lateris, sæpe lienis abit.
Hinc quoq; singultus cedit, ruptura, podagra,
Hinc & neruosi noxa laborq; loci.

Aristolochia, ἀριστολοχία. Italis Aristologia. Gallis Sarrasine. Brabant. Ostruits. Germanis Osterlucey. Longa est Galeno Dactilitis dicta, paucis cognita. Est & rotunda, cuius radix ro-

dix rotũda eſt, rugata, pulla in ſuperiori parte, quacaulem ex ſe mittit in acumen quoddã, tur binata, guſtu amara, ſubcrocea. Cæterùm quo niam raræ ſunt veterum Ariſtolochiæ, etiamſi hic illarum deſcribemus vires, tamen ſciendum eſt, quandam Ariſtolochiam rotundam hactenus venditam eſſe à ſeplaſiarijs prorſus à veterum Ariſtolochia alienam, quanquam & ad vlcera fluentia proſit, ſiccãs illa, & ad morbum Regium, & venena quoque, quam placet hîc deſcribere. Verarum deſcriptiones pete ex Dioſcoride & Matthiolo. Radix illi eſt ſubluteі coloris ſeu ſubcrocei, ſaporis amari, Veris nuncia. Nam vbi gelu diſſoluitur, mox è terra ſuos aſparagos protrudit, qui vbi adoleuerint, ſingulæ radices ſuos emittunt coliculos rotũdos, leues, in vertice floribus fumariæ quàm ſimillimis emicantes. Folia herbacei ſunt coloris & cum rutę hortenſis folijs comparari poſſunt, niſi maiora eſſent & latiora. Gaudet dumetis circa itinera, ſyluis altis. Cæterùm vera Ariſtolochia rotunda, quæ fœmina eſt præſtanti odore cum acrimonia, radice rotunda Rapi modo, flore candido, paſsim in ſyluis reperitur. At longa, quæ longiora habet folia, radicem longam, in vineis prouenit. Calida vtraque, & ſicca ordine tertio, acris, & amara.

ASPHODELVS.

Conuulsos radix neruos, laterisq́; dolores,
Ex vino drachmæ pondere sumpta leuat.
Ad vomitum cogunt, purgant quoq; semina ventrē,
Et Veneri stimulos conciliare solent.
Illitus ambustis bulbus partisq́; tumori,
Pulmonum fœdis vlceribusq́; valet.
Cæcior at lachrymis si quando mœstus obortis
Spectas criniti lumina clara Dei.
Sis memor hinc oculos succo perfundere, poßis
Quò visus solita dexteritate frui.

Asphodelus, ἀσφόδελος. Albucus aliàs. Hasta regia & Aphodillus officinis. Italis. Asphodelo. Gallis Hache royal. Mas est & fœmina. Ille folijs porri, caule leui, radice oblonga, rotunda, numerosa, acri: fœmina verò folia habet plantaginis minoris, longa, radicem bulbosam, capillis allij instar sub bulbo enascentibus, in syluis frequens. Calet & siccat secundo.

AMARANTHVS.

Lutea deducit menses, vermesq́; rotundos,
Ischiadem, abscessus, soluere planta potest.
Si quis concretus subsistet in inguine sanguis,
Si ramex, sumpto hinc puluere, sanus eris.
At quæ purpureo sic læta cacumine turget,
Astringit, stomacho sed nocitura tuo.

Amaranthus, ἀμάραντος. Italis Amarantho, Gal-

Gallis Passeuelour. German. Floramor, tausentschoon. Duplex est, vnus luteus siue citrinus Dioscoridi dictus (vt plurimi putant) Heliochrysos, Stechas citrina vulgò: Germanis Rheinblům, aridis gaudens, & soli expositis campis, maximè iuxta Rheni tractum, dodrantalis altitudinis, radice breui & nigra, folio albo & lanuginoso, forma vulgari Pilosellæ simili, cui caules teretes & cineracij, qui singuli in cacumine luteos flosculos in modum corymbi multiplici foliorum ordine distinctos gerunt, qui nunquam marcescunt, odore grato, sapore amaro. Vocatur aliâs Tinearia, & Germanis Mottenblumen, quod ab erosionibus Tinearum vestes vindicet, quam quoq; Aureliam Theophrasti quidam esse putant. Alter Amaranthus purpureus est, flos quidem visu delectabilis & planta, sed nullius ferè vsus. Sunt qui Filaginem, quæ Græcis Enaphalion, Centunculus seu Tomentitia dicitur, Gallis Herbe à cotton. Braban. & Ger. Rhurkraut, inter Amaranthi lutei species enumerent, nec forsitan malè, nisi temperie dissideret: est enim frigida, & astringens tantùm, illa calida ex amaritudine.

ARTEMISIA.

Euocat in vino menses macerata reclusos,
Et tardos fœtus difficilesq́; mouet.
Sumptaq́; natiuos est concessura colores,
Per renes ducta bile, liquore, tuos.

Soluit vesicæ lapides, vteriq́ tumores,
Et tußim, & podagræ tormina cuncta tuæ.

Artemisia, ἀρτεμισία. Ital. Artemisia. Gall. Armoise ou herbe de saint Iehan. Braban. sint Iohans cruyt. German. Byfuſs, gucken, S. Johans gurtel. Folia habet prope radicem maxima, multis incisuris diuisa, quæ quò altius repunt ad cacumen caulis, eò sunt minora, omnia verò qua terram spectant candicantia, supernè ex nigro virescunt. Radix lignosa est & capillata. Vtriusque tam maioris Arthemisiæ quàm minoris (est enim duplex) caulis medulla plenus est veluti Sambucus. Neoterici quidam tres constituũt Arthemisias, etiamsi Dioscoridi duæ sunt tantùm species. Calet & siccat Arthemisia cum astrictione, viribus ad Pulegium accedens.

APIVM.

Ardores stomachi, ventris quoq́ tormina mulcet,
Emollit mammas, menstrua tarda mouet.
Sumito: et immundi fœtorem corporis aufert,
Vrinæ, & renum subuenietq́ malis,
Illinc, sic sordes, purgabit ab vlcere succus,
Franget & inuisæ dira venena feræ.

Apium hortense, σέλινον κηπαῖον. Vulgare est nostrum Petroselinum satis notum. Huc ob formæ & virium affinitatem transferre licet Apium palustre, seu Paludapium, Græcis

dictum

dictum ἐλαιοσέλινον & ὑδροσέλινον, humidis & paludosis locis lætius exurgens: Petroselino hortensi, caule, radice, folijs & vmbellis respondens, nisi quòd omnia in illo grandiora, pinguiora, ac gustu vehementiora, & magis amara. Ital. Appio. Gallis Persin deau, ou des marez. Brabant. Eppen. Germanis Wasser Epff.

ASPARAGVS.

Prolicit vrinam, renumq́; doloribus obstat,
Et corpus suaui mansus odore beat.
Vtilis ad dentes, luxatos mulcet & artus,
Sed viuis vteri fœtibus herba nocet.

Asparagus, ἀσπάραγος. Ital. Asparago. Gall. Asperge. Brabant. Coralcruyt. German. Spargen, & Teuffels trauben. Theophrasto Corruda. Asparagus Maio mense grandi radice ac thyrso primùm prosilit. Deinde hi turiones siue asparagi in caules tenuissimis folijs vestiti explicantur. Florem fundit paruulum, quo decusso, baccæ dependent primùm virides, tandem coralli instar rubescentes. Thyrsus qui primùm è radicibus exilit cacumine in torulos turbinato, magna hodie voluptate in cibos expetitur à delicatis, vtilis stomacho haud dubiè, nutritque olerum omnium maximè. Radix abstergit, & temperiē sortita est.

ASPLENVM.

Icterioum frondes sanant, minuuntq́; lienem,
Vesicæ lapidem comminuuntq́; tuæ.

Singultusq; adimunt, et vrinæ incommoda sumptæ,
His mulier steriles sed patiere locos.

Asplenum, ἄσπληνον. Officinis Ceterach. Italis Aspleno. Gallis Scolopendrie vraye. Brabant. sten varen. Germanis Miltzkraut. Folijs est multis Scolopendræ animali similibus ab radice vna prodeūtibus filiculæ modo diuisis, subter flauescentibus hirsutisque, supernè viridibus. Nascitur in petris, parietibusque opacis, humidis, subtilium est partium & symmetrum.

ASCLEPIAS.

Cum vino infesta est radix, præsumpta venenis,
Et valido expellit menstrua cæca modo.
Colluuiemq; simul ventris perpurgat aquosam,
Hinc quoq; vulneribus fit cataplasma feris.

Asclepias, ἀσκληπιάς. Officinis hirundinaria. Ital. Asclepiade. Germ. Schwalben wurtz. caule & folio Aristolochiam longam per omnia refert, radice tantùm odorata, numerosa, tenui, contorta & implicata instar Hellebori nigri, adeò interdum ponderosa, vt decem libras æquet, folia tenera sunt, aliàs hederæ similia, flosculus Iunio mense ex candido pallescens emicat, quibus succedunt siliquæ intus lana candida & semine refertæ. Radix in desessionibus vsurpata mirè matricis dolores iuuat, & menses euocat.

Argen-

ARGENTINA.

Constringit succus, mensesq́; oculiq́; fluores,
Maximus & dentis fit minor inde dolor.

Argentina, nonnulli volunt esse Potentillam aut Thalictrum, alij Tanacetum syluestre, quod Galli vocant Becdoye ou Argentine. Flandri ganserick. Folia habet supernè viridia, infernè candicantia.

ACACIA.

Est oculis succus medicina perutilis vstis,
Quo reprimas facili menstrua, sume, via.
Laxaq́; matricis fuerint si vincula fœta
Firmius astringet vincla soluta nihil.
Et quò cœliaca sis ægritudine liber,
Hinc sis condire pocla dapesq́; memor.

Acacia. Spina est in Ægypto instar arboris fruticosa, sed nostratibus inusitata & incognita. Eius succi loco poterimus vti succo prunorum syluestrium. Siccat tertio, refrigerat primo. Serapion vocat Acaciæ succum gummi Arabicum, quod tamen longè diuersum est à gummi Arabico officinarum. Quoniam etsi in hoc maximè conueniant, quòd similia sint vtraque contractis vermiculis, longè tamen in eo dissident, quòd Acacia validè astringat: gũmi verò Arabicum leniat & aperiat, vnde tussientibus & anhelosis commodissimè exhibetur.

AGALLOCVM.

Halitibus sumptu hoc veniet fragrantia fœdis,
Inde quoq; asperso corpore sudor abit.
Humentem radix stomachum siccatq; fouetq;
Et lento recreat cor, cerebrumq; foco.
Si dolor excruciat iecoris laterisq;, coliq;,
Hinc cyathus coctæ sæpe bibatur aquæ.

Agallocum, Ξυλαλόη. Lignum aloes. Tarum Plinij quibusdam. Ital. Agallo cho. Gall. Bois de paradis. Optimum quod ex India, nigrum ponderosum, odoratum, quodque igne accensum plurimum humoris exudat. Crudum est & minus odoratum, quod per flumina delasum est, melius & odoratius, quod in terra reconditum teredinem sensit, calidum est & siccum secundo.

APIASTRVM.

Asthmata compescit, ventris quoq; tormina succus,
Vlcera perpurgat, sæua venena domat.
Debile confirmat cor, tetraq; somnia pellit,
Quæ parit in cerebro bilis adusta tuo.
Hanc igitur tristes quoties depellere curas,
Cum solito cupies lætior esse, cape.

Apiastrũ μελισσόφυλλον. Citrago aliàs, quòd citreum malum redoleat. Officinis Melissa. Italis Cetronella. Gallis Melisse. Brabant. Consilie de grein. German. Immenblat, frauwen-

kraut

kraut. Radix eius multis alijs coniunctis radiculis intra terram serpit, pluresque cubitales cauliculos ex se mittit, quadrãgulares, tenuiores nigro marrhubio, folia illi Vrticæ similia siue nigro Marrhubio. Flos in folliculis alius purpureus, alius subluteus, caulem ornat. Calet & siccat ordine secundo, ad paßiones cordis & melancholiam vtilis.

AMMONIACVM.

Attrahit ex alto, simul & durißima quæq;
Mollit, et hoc sumpto, lenior aluus erit.
Vrinam pellit, sed pondere sume morantem,
Succus anhelosis iure cupitus auis,
Articuli, coxæ, iecoris, stomachiq; dolores
Curat, & hinc pessus menstrua pigra ciet.
Si vetus, aut tußis te viscida nocte fatigat,
Grana tibi ex ouo bis duo sume die.

Ammoniacum, officinis Gummi armoniacum, Succus est ferulæ, quam iuxta Syrenem Aphrica mittit & gignit. Dicitur etiam Thymiama, hoc est suffimentum, quod eo olim in sacrificijs pro odore vterentur. Calefacit secundo, siccat penè eodem ordine, & validè emollit omnem duritiem ex aceto, cum visco arboris & calce mixtum.

AVRICVLA MVRIS.

Illine maioris succum, si tempora phlegmon,
Siue oculos sanguis subrubicundus habet.

At minor hydropem curat, iecorisq; meatus,
Obstructas reserat inq; liene vias.

Auricula muris, μυὸς οὖς. Ital. Orecchia de topo. Gallis, oreille de soris. Brabant. muys ore. German. Groſs meiſs or. Eſt maior, eſt minor. Maior naſcitur in vmbroſis nemoribus, & nonnunquam in antiquis muris, teretem & piloſum, tenuemque caulem emittit cubitalis altitudinis, nudum folijs, & deſtitutum geniculis. Folia humi ſparſa iacent, piloſa, in extremitatibus parum inciſa. Radicem habet breuem, fibris capillatam, flos in ſummo caulis luteus, & multiplici foliolorum ordine ſtipatus, qui in pappos tandem euaneſcit. Tota planta lacteum ſuccum manat vbicunque incidatur. Minor auricula muris amarum etiam lac inciſa fundit. Naſcitur in ſabuloſis, radice capillata, folijs humi ſparſis, incanis & ſubalbidis, hirſutisque, luteo flore circa Maium, hæc calida eſt. Maior autem frigida eſt & aſtringens. Porro in hortis & cœpis cõſitis reperitur quoque Auricula muris, cauliculis tamen & ſurculis procerioribus, pinguioribus, mollioribus, flore cœruleo.

ALLIVM.

Sumito, nil melius flatus diſſoluit inanes,
Nil melius vermes quod necet æger habes.
Vindicat à lepra ſimul & lentigine corpus,
Peſtiferas ſumpto hoc tutus adito domos.

Suf-

Suffitu potis est partus reuocare secundas,
Vtilis Anginæ, sæpe remande, tuæ.
Sic dentes gelidos tollas, ventrisq; tumores,
Vrinæ & tussis sic medeare malis.
Si tamen ad choleram vergit natura deustam,
Si doleant oculi, his parcito, quæso cibis.

Allium. σκόροδον. Italis Aglio. Gall. aux, ail. Brabant. Loock. Germ. Knoblauch. Duplex est, Domesticum & id omnibus notum. Syluestre non item, in tenebrosis & vliginosis locis proueniens, in quibus appetente vere cum Aro è terra prosilit. Herba est vnico sæpe folio, nonnunquam binis conspicua, ijsque lilio Conuallio similibus. Et quæ duo folia habet, ea in fine Aprilis candidos profert flores Lilio conuallium persimiles, nisi quòd non sint concaui, sed aperti, stellati. Radix illi candida & oblonga. Totum hoc allium fœtidi est & abominandi odoris: propterea aduersus venena omnia efficacius. Quidam vocant Allium vrsinum. Dioscorides ὀφιοσκόροδον, siue Allium colubrinum. Serapioni Scordion dicitur. Calefacit Allium domesticũ, & siccat ordine quarto, cholericis valde inimicum. Allium veneno epoto aduersatur, & vitia cutis scabiosæ & leprosæ emendat.

ALVMEN.

Vlcera quæ putrent, compescit, stringit, & vrit,
Confirmat dentes, membraq; laxa iuuat.

Cum sale compones si balnea, curat hydropem,
Aphtas (decoctum) sanat in ore tuo.

Alumen, στυπτηρία. Ital. Alumen. Gal. Alun. Brabant. Aluijn. German. Alaun. Eius sunt species Rotundum siue Zuccharinum. Liquidum siue rupeum, luparinum: demum scissile in capillamenta quædam canescentia dehiscens, quod falsò Alumen plumeũ nominant. Cæterum alumen fecis è fece fit vini perusta. Alumen catinũ è cinere herbæ cuiusdam, quę Thuscis Soda dicitur, vnde etiam fit sal Alkali. Alumen squamosum fit è transparente lapide ambusto igni.

AGARICVM.

Calfacit, astringit, purgat bilem & pituitam,
Atq; foras grumos sanguinis ipse trahit.
Ducentes longo sanat suspiria tractu,
Et quos vrinæ iam via clausa premit.
Pallida si facies tabem prætendit, hydropem
Obstructi vitio siue lienis habet.
Si infestat febris, matrixue inflata tumescit,
Si caput aut stomachus, rénue iecúrue dolent.
Ad binos drachmam cum vino sumito menses,
Senseris Aegei munera prompta Dei.

Agaricum, ἀγάρικον. Ital. Agarico. Gallis Agaric. Medicina familiæ quibusdam. Fungus est non in larice tantùm prouenien s, sed in omnibus glandiferis arboribus. Constat ex
aeria

aeria & terrena ſubſtátia à caliditate extenuata, minimum habens ſubſtantiæ aqueæ. Tardè operatur, & copia interius nocet, corrigitur eius malitia, addito ſale, oximelite, aut gingibere: mira eſt illius vis ad venenatos morſus: & breuiter ad omnia interna vitia ſi redigatur in paſtillos pharmacopolis cognitos.

ARGENTVM VIVVM.

Diſſoluit, penetrat, conſumit, mundat & arte
Extinctum, vario membra dolore leuat.
Vngito, ſic poteris ſcabie & prurigine corpus,
Soluere vel podagræ tormina cuncta tuæ.

Argentum viuum, ὑδράργυρος. Ital. Argento viuo, Gallis, du vif argent. Brabant. quicſiluer. German. Quecſilber. De eius temperamento variant authores: quibuſdam calidum, quod veroſimilius eſt, alijs frigidū aſſerentibus: omnia metalla illi innatant, excepto auro, cuius limati ſcobs illis remedio eſt, qui argentum viuum in nimia copia acceperunt. Eius vſus etiam foris periculoſus eſt, etiamſi non deſint in Italia, qui eo vtuntur etiam in potu ad necandos vermes, & in difficili partu. Sublimatum ex eo, & præcipitatum chirurgis nota ſunt.

ANCHVSA.

Demulcet ſacros ignes, lepramq́ue repurgat,
Euocat & fœtus, ictericusq́ue valet.

Febres persanat, renumq; incommoda tollit,
Toxica serpentis innocua esse facit.

Anchusa ἄγχουσα, Officinis Buglossa rubea & syluestris, Gallis, Orchanette. Tria eius sunt genera, quartum facit Plinius & Pseudoanchusa dicitur. Folia habent lactucæ in acumen fastigiata, hirsuta, aspera, nigra, multa, quoquouersum sparsa, spinis horrida: flores per totum caulem producunt è cœsio purpurascētes penè forma Buglossi vulgaris, sed rubent & explicantur magis. Radici est crassitudo digitalis, quæ æstate prouenit, ac manus inficit sanguineo colore. Astringit radix, amara est, refrigerat & abstergit. Hanc nonnulli Alcannam falsò vocant.

ALYSSVM.

Si tibi sit teneros oculo qui fascinet agnos,
Hinc facies diræ fascina vana Deæ.
Cuius odorata singultus cessat ab aura,
Sic morsus rabidi nil nocet inde canis.

Alyssum, ἀλύσσον. Officinis Rubia minor, fruticosa est herba, vnicaulis, subaspera, rotundis folijs Marrhubio (inquit Galenus) similibus, spinosiore tamen & asperiore caule, in summo, fructus illi duplicium scutorum effigie, in quo semen latum quadantenus Plinius Rubiam minorem appellat. Actio

Si-

Sideritis est heraclea, seu (vulgò) herba Robertiana. Ruellio rustica Cannabis, at in hac diuersitate credendum Galeno.

ANAGYRIS.

Illine quò magnos reprimas in parte tumores,
Quò fœtus, menses, sume, secunda fluant.
Quò valeas longos capitis lenire dolores,
Pulmonum quò sint libera flabra tibi.

Anagyris, ἀνάγυρις. Italis, Anagiro. Gallis, Bois puant. Frutex est arboris instar, flore flauo sed fœtido, alioqui visu delectabili folio Agni. Calefacit & incidit: frequens in syluis.

AMBAR.

Si vitio praui prosterneris ipse cerebri,
Et stupet à lenta si tibi sensus aqua.
Siue suis pendet radix delapsa locellis,
Sub læuo trepidant seu tibi corda sinu.
Naribus excipias, aut suffimenta pilosis,
Aut ex fragranti munera sume mero.
Ad tua composita sic surges munia mente,
Sic dempto fies viuidiorq́; malo.

Ambar, siue Ambarum odoriferum (de quo hîc agimus) Græcis ignotum est. Italis, Ambragrigia. Gallis, Ambergris. Officinis

Ambra grisia vocatur, chara quidem res & o-
dorata, sed factitia ex moscho, zibeto, ligni
aloes, styrace & ladano. Est & altera Ambræ
nomenclatura, quæ subalbida dicitur, Diosco-
ridi ἅλ☉ ἄνϑ☉, salis aut maris flos, Sperma ce-
ti officinis. Brabant. walschot, potu ijs vtilis,
qui ex alto delapsi, sanguinem intus concre-
tum retinent. Est & tertia, fulua & pinguis re-
& quarundam arborum lachryma, quæ è Ba-
lenis & piscibus Cetaceis, qui fontes Ambaræ
degustarunt, interdum eximitur. Sed non est
aliud nisi Succinum seu Carabe Arabibus di-
ctum, astringens, & ad sanguinis profluuia
omnia potens. De spermate Ceti, lege histo-
riam Olai magni, De gentibus septentrio-
nalibus.

ANTHYLLIS.

Continuo venter cui fluxu sanguinis aret,
Cuiq; abeunt menses largius, inde bibat.
Hac simul vrinæ, renum succurre lapillo
Spumanti capitis hac medeare malo.

Anthyllis, ἀνθύλλις. Salsago vulgò, quòd ex
ea vsta sal excoqui possit. Hunc salem Arabes
Alkali vocant, alij Alumen catinum, ex quo
vitra fiunt. Vnde quòd è vitrorum materia re-
sudat, Axungia vitri Officinis dicitur, Braban-
tis, smout van ghelasen. Porrò Dioscoridi du-
plex est Anthyllis, vna folijs mollibus, recti
ramu

ramulis, radice parua: altera folijs & ramulis Aiugæ, hirsutis, asperis, flore purpureo fœtente, radice Cichorij. Desiccat vtraque cum tenuitate partium.

AGRIMONIA.

Obstructum reserat, tum debile roborat hepar,
Potaq; serpentum tetra venena fugat.
Fortiter abscessus internos rumpere fertur,
Ad fluxus ventris semina semper habe.
Siue cicatricem nullo medicamine vulnus
Accipiat, voti (hanc illine) compos eris.
Sed bibe de succo, siccabis & vlcera renum,
Mirando lapidem comminuesq; modo.

Agrimonia, εὐπατώριον. Ital. Agrimonia. Gallis, Agrimonie. Brabant. leuer cruyt. German. Buckwurtz. Tota sua substantia aspera & hirsuta est herba, folijs cineraceis, multifariam scissis: nam singula vtrinque in quinas & senas incisuras finduntur, easque per ambitum serratas instar cannabis. Caulis illi est longus, lignosus, hispidus & asper, quem lutei & stellati flosculi vndiquaque, ad fastigium vsque circundant. Post florem apparent veluti lappacea capitella vestibus, & quicquid attigerint adhærentia. Folia iucundum spirant odorem, vt non frustrà dixerit Auicenna, genus esse aromaticarum herbarum. Radix illi nigra, amara & astringens. Cæterùm aliud ostendi-

tur genus Eupatorij, duos aut tres palmo haud excedens, coliculo terete, folio angusto tenuibus crenis, & ſerraturis inciſo, flore in cacumine capitulato, ſubluteo. Amarantho per omnia cõſimili, odore Abſynthij. Priore vtendum eſt Eupatorio, vbi Græci de eupatorio loquuntur. Nã eſt & Eupatoriũ Meſue Italis herba Ciulia dicta ſiue cratiola, plures ab radice emittẽs caules, folijs, vti iam dictũ eſt, minori Cẽtaurei, flore aureo, quę nonnullis Ageratũ Dioſcor. eſſe volunt, mirandi effectus ad vermes. Eſt & Auicennæ ſuum Eupatorium, folijs Cannabinis, caule ſubrubeo, alto, hirſuto cui flores in vmbellam abeunt, colore in purpuram albicante. Calefacit & ſiccat vera Agrimonia, de qua nos hîc agimus.

BRIONIA.

Diſcutit abceſſus radix, confractaq; ſecum
Oſſa ſimul menſes fac cataplaſma trahit.
Ad præfocatus vuluæ datur vncia, quando
In Chio fuerit commacerata mero,
Si tuſsis pectus. ſi craſsior obruit humor,
Si male reſpiras, ſi latus æger eris.
Si cadis attonitus, ſimul & vertigine preſsus,
Si ſit hydrops, ſi ſplen, lepra moleſta tibi.
Hinc de confecto ſumas ecligmate drachmam,
Et vti compos corpore ſanus eas.

Bryonia, ἄμπελος λευκή. Italis, Brionia. Gallis,

lis. Couleuree. Brabantis, alſſpape. Germanis, Hundtskürbs. Duorum eſt generũ, alba & nigra. Hęc à nigris baccis ſic dicta eſt, folia ferens hederæ & capreolis ſuis arbores comprehendens, ad omnia imbecillior: alba verò caules profert magnæ proceritatis, vicinas ſepes, & dumeta etiam conuoluens. E radice rapitia, magna, & fœtida, virides exeunt aſparagi, qui inſtar Lupuli decocti & præparati, ventrem leniter mouent & vrinam. Folijs eſt ſatiuæ vitis, niſi quòd omnia hirſutiora ſunt quàm in vite. Fructus illi in vua dependet, rubeus: vnde & vua taminea (Scribonio dicitur) hic tuſus & more cataplaſmatis appoſitus, ſcabiei, gangrenæ, immundis vlceribus prodeſt, exeſt enim putrem carnem & mundat. Eadem poteſt & radix cum oleo temperata, ad vitia cutis, varos, lentigines, maculas extergens & emendans: addita quoque axungia ſuilla facit ad paralyſim.

BVRSA PASTORIS.

Quoſlibet ad fluxus ſtomachi, narisq́;, coliq́;,
Quoſlibet ardores ſanguinis, herba valet.

Burſa paſtoris. Ital. Burſa paſtoris. Gal. bourſe de bergier. Braban, teskens. Germanis, Hirten ſeckel, aliud nomen non habet: plerunque vnico aſſurgit caule, folio diſſecto inſtar verbenæ, radice recta, candida, candido flore,

Notiſsima eſt publicis etiam vijs. Aſtringit potenter, ſi præſertim eius ſuccus cum ſucco recẽtis ſtercoris Suis propinetur: ligatur quoque ad pulſum aduerſus typum febrium.

BASILICVM.

Digerit & valido craſſos in pectore ſuccos,
Vrinam & menſes eijcit herba modo,
Cor recreat, cerebrumq́, iuuat, foris omnia cruda,
Et tepido rabiem phlegmonis igne coquit.

Baſilicum, ὤκιμον, Ocimum. Ital. Baſilico. Gall. Baſilic. Brabant. baſilicon. German. Baſilgen. Tria ſunt eius genera, quorum duo ſatiua ſunt, tertium ſylueſtre. Nobiliſsimum atque pulcherrimum eſt Ocimum minus, multis ramulis conſpicuum arbori ſurculoſæ con ſimile. Folia Amaraco ſimilia, odoris ſuauiſsimi. Alterum caule & folijs maius eſt, flos caulem circundat, quemadmodum in Vrtica fieri ſolet, atque is alius eſt candidus, alius roſeo tingitur colore. Tertium ſponte prouenit, & odore Mentham agreſtem refert, caules habet hirſutos, lanuginoſos, quadrangulares, flore purpureo veſtitos. Cæterum Ocimum veterum, quod Germani Heiden korn vocant, & paſcendis pecoribus apud multos ſeritur, longè à Baſilico odorato diuerſum eſt, oculos enim hebetat, & ſpiritus mouet, & excrementitia humiditate corpori incommodat.

Ocy-

Ocymum verò gariofilatum siue Basilicum; facultatem obtinet resoluendi viscosos lentosque pulmonis & matricis humores. Priuatim musto impositum, quousque deferbuerit, vinum odore & sapore iucundissimo commendat, vt muscatelinum referat. Semen aqua rosacea maceratum per noctem, in gummi album resoluitur quod prẹsentaneo est remedio inflammationibus, exulcerationibus, & Alcolæ oris..

BERBERIS.

Vsus baccarum febriles mitigat æstus,
Et choleræ rabiem sæpe resume tuæ.
Afflictos longo vomitu redeunte quiete
Subleuat, & gelido corpora rore beat.

Berberis, ὀξυάκανθα est Dioscoridis, quæ Spina acuta, Pyrina & Pyxacanthos dicitur. Officinæ Berberim vocant. Ital. Berbero. Galli, du berberis. Brabant. sauseboom. Germanis, Saurach vnd erbsal. Spina ista elegantissimos profert flosculos, multos ab radice emittit caudices, acutissimis vndique spinis, ijsque aculeos vuæ crispæ, Gallis, Grouselier appellatæ referentibus armatos. Flores fert stellatos & cẹrulei coloris, qui tandem in acinos abeunt, botris exiguis similes, corallij rubri colore tinctos, gustu acidos, intus nucleos habentes. Facultate huic est similis Ribes vulgò. Ger-

manis Zamme grossel. Arbuscula tenera & surculosa, quæ acinos illos acidos profert, & apud curiosos hortorum cultores extimas hortorum pometorumque oras ambit. Caudicem ramosque habet spadiceo cortice vestitos, folia nigra, serrata, forma grossularis seu vuæ crispæ. Est & Ribes syluestre huic similis, nisi quòd fructus iniucũdus est, & vomitum ciet, in quibusdam littoribus frequens. Halimus quoque profert similes baccas, sed maiores easque plerunque binas coniunctim instar gemellorum vno pediculo suffultas, gustu quoque ingrato præditas, & quæ nauseam cient. Caudex & ramuli cineraceo cortice vestiuntur, folia altera parte incana. Nullius in medicina vsus. Refrigerat Berberis & Ribes ordine secundo, illa cum tenuitate partium.

BRVSCVS.

Vesicæ frangit decoctio sumpta lapillum,
Sudorem ducit, menstrua, phlegma trahit.
Si cutis est fœdo, croceo vel picta colore,
Mundior hinc fiet, candidiorq; simul.

Bruscus siue Ruscus, μυρσίνη ἀγρία. Agrifolium quibusdam. Gallis, Myrte sauuage. Brabantis, steckende palm. Germanis, Meüss-dorn. Spinosus est frutex, folia habet Myrtilli per omnia similia, nisi quod in cacumine aculeata sint. Fructus per maturitatem rubet. Radix

Radix recta eſt & longa, guſtu amara. Spontè in Italia prouenit, & ex eo ſcopæ fiunt. Non eſt illi abſimilis Aquifolia. Gal. houx. Brabantis Hulſt vocata, nullius in medicina vſus, calet Bruſcus & ſiccat.

BETONICA

Hæc capitis ſanat vulnus ſæuosq; dolores,
Atq; vteri multis commodat herba malis.
Soluit anhelosos, tabem tuſſesq; cruentas
Sumito ſic bilem ducit, hydropis aquam:
Subducit ventrem, vitijs renum atq; lienis
Subuenit, & ſtomacho conſulit herba tuo.
At radix vomitu pellit de more veratri
Phlegmata, ſic ventris tormina, febris abit.

Betonica, κέστρων. Nota eſt omnibus hodie & forma & nomenclatura, & duplex eſt, purpurea ſcilicet & candida, quòd hæc candidum proferat florem, illa purpureum vti Stœchas. Vtraq; folia habet primò per terram ſparſa, aſpera, lata, ſerrata, iucundi odoris, caulem aſperum, quadrangulum. Quiſquis debilitate & eructatione ſtomachi continua laborat, vtatur aſsiduè herbæ decocto, aut conditis Betonicæ floribus, aut arefactæ herbæ puluere. Ad ptiſim, tuſsim, paralyſim, hydropem, & denique innumera mala vtere herbæ & florum decocto. Incidit, amara eſt, & modicè acris.

Cur

BOTRYS.

Cur nisi ceruice erecta spirare coactus,
Huius odoratæ commoda spernis aquæ?
Excitat vrinam succus mensesq; morantes,
Phlegmaq; thoracis crassius ille coquit.

Botrys, βότρυς. Italis, Botri, Gallis, Pyment. Brabantis, druyf cruyt. Germanis, Trauben kraut, odoris gratia hæc à curiosis, vestibus interponitur in vestiarijs arcis. Ambrosia officinis dicitur. Maio mense primo ortu exigua & rubra, dissecta & lanuginosa profert folia, humi procumbentia, quæ postea longiora fiunt instar fere Cichorij. Deinde caules producit teretes, in alas sparsos paucis vestitos foliolis, florem ab imo ad summum exiguum, copiosum, subluteum. Semen suauis est odoris, rotundum. Radix breuis, lignosa, calida est & sicca herba, amara enim est.

BDELLIVM.

Hoc cape cum mulsa vt genitalia turgida soluas,
Renibus in lapidem comminuasq; tuis.
Illine sic strumis, serpentum morsibus obstat,
At bibe quò toto corpore flatus eat.

Bdellium, βδέλλιον. Lachryma est Sarracenicæ aut Lybicæ potius arboris, qua forsitan caremus. Galenus ei substituit Muscum arboreum, alij selectissimam myrrham, nonnulli recen-

recentiores Propolim. Calefacit & emollit, quod Scithicum est, at Arabicum magis siccat quàm emollit.

BETA.

Si fiat clyster de succo, tunc tibi lento
De ventre exibit dura saburra modo.
Hæc sumpta obstructo est iecori & pergrata lieni
Ardua sed stomacho fert alimenta tuo.

Beta, τεῦτλον. Italis, Bietota. Gallis, bete, iotte, poret. Brabantis, beete. Germanis, Mangolt & Rōmische kol. Betarum alia nigra est, alia candida, alia rubra. Hæc radicem habet purpurei coloris, reliquis candidæ sunt, omnium, rotundæ, oblongę lignosæque quadantenus. Nitrosæ est facultatis Beta, ideo discutit & abstergit, lieni vtilis, succus radicis attractus per nares ciet sternutamentum, Bonæ est concoctionis, & stomacho vtilis.

BRASSICA.

Restringit vini noxam, ventremq́; solutum
Efficit, & stomacho conuenit esa suo,
Illine nodosam nouit mulcere podagram,
Et firmam affrictu constituisse comam.
Naribus attractus succus caput arte repurgat,
Gutturis & raucum corrigit ille sonum.
Vlcera, & ad sacros ignes, œdemata confert,
Et pungens lateris soluitur inde dolor.
Ast ea quæ niueo sic lacte maritima turget,
Viribus occultis purgat hydropis aquam,

Brassica, κράμβη ἥμερος, omnibus nota est & varia sunt eius genera. Est enim capitata quam Plinius sessilem appellat. Italis, Cauli. Gallis, Chou cabu. Braban. cabuiskoolen. Germanis, Kappes. Est & Pompeiana. Italis Cauli flores vocata. Denique est rubra, est nigra. Erasistratus nihil putauit vtilius neruis, spleni, podagræ, paralysi, ardori febrium. Ad purgandum bilem, cyma brassicæ decoquitur, postea tunditur, succusque per pannum colatur, sume cyathi mensuram ieiunus cum salis modico, semine coriandri & cymino, tepidũ, & miraberis. Vtilis podagricis est cibus & medicina, siccat brassica. Brassica marina, Soldanella vulgò dicta, folijs hederæ, succo lacteo, rubentib. ramulis, longè alia est ab hac.

BVPHTHALMVS.

Succus duritiem mollit, tumidosq; dolores
Lenit, vt ad somnum te reuocare queat.
Cuius decoctum post balnea sumito, quò sic
Regius exiguo tempore morbus eat.

Buphthalmus. Italis, Buphthalmo. Gal oeil de boef. Braban. cologhe. Germanis, Stein blumen oder Sterckblumen. βούφθαλμος Dioscoridis est, vt putant nonnulli. Estq; hæc planta tota sua substantia vulgari Chamomillæ similis, nisi quòd omnia habet crassiora, latiora, & magis procera. Folia ad cineraceum colorem vergunt tanaceti similia, sed minoribus

inci-

incisuris, florem gerit foris, & intus aurei coloris, & iucundum odorem spirat. Nascitur incultis & petrosis.

BVXVS.

Astringit, flauo redditq; colore capillum,
Sed nocuo cerebrum semper odore premit.

Buxus, πύξος. Ital. Buxo. Gal. buys ou palme. Brab. busboom. Germ. Buxbaum, eius lignum durissimum est, calefaciens, siccans, astringens.

BALSAMINA.

Dant oleum vlceribus compressa perutile fœdis
Semina, vulneribus par medicina nouis.
Poma solent nimios etiam mulcere dolores
Matricis, dentis, pectoris, atq; coli.

Balsamina, Mamortica nonnullis, pomũ mirabile siue Hierosolymitanũ vocatur, folia eius necnon caules Bryonię respondent, nisi quòd illa viridiora, & speciosiora. Clauiculas multas habet, quib. proximis fruticib. sese illigat, flores ex albo in luteum languescente prędit isunt colore. Poma carnosam habent cutẽ, rigidioribus bullis tumescentẽ, cucumeris syluestris instar intus speciosa, & sanguinei coloris. Aliud balsaminę genus statuitur, & planta est caule, ex viridi rubescente, crasso, folijs salici similibus, per ambitũ serratis, flore purpureo ad Consolidæ regalis flosculos accedente, post quẽ mala sequuntur herbacea, deinde pallida, & pilosa, quæ interdum sole propitio maturantur,

BVGLOSSVM.

Exhilarant grato frondes permisce Lyeo,
Ingentem iecoris conficiuntq́; sitim.
Pressus & hinc succus febris delere rigores,
Dicitur abscessus posse iuuare graues.

Buglossum. Italis, Buglossa. Gallis, Bruynage ou borage. βούγλωσσον. Officinis Borrago vulgaris. Nam quo hactenus vsę sunt Circium est Dioscoridis (quibusdam) Buglossæ multa sunt genera. Radix omnibus est longa, recta, pulla foris, maiori buglossæ, interdum cubitû protensa, flores fert, domestica, partim candidos, partim purpurantes, folia hirsuta, nigricantia, spinis horrida, humique in circulum stellatim sparsa fundit. Huc ob affinitatem transferre licet Boraginem, quæ cùm æstate perit, vbi excalescere cœpit: folia etiam habet hirsuta & aspera, rugosa, modicè rotunda. Caule exit concauo, nonnunquam vnico, flore cœruleo, alijs candido, alijs pallescente roseo, è semine facilè repullulascit deciduo: calefaciunt & humectant, & cum Echio similem habent facultatem.

BITVMEN.

Mollit, matricemq́; potest releuare cadentem,
Et cum Castoreo menstrua tarda trahit.
Soluit anhelosos, lentumq́; in ventre cruorem,
Et conuulsiuus pellitur inde dolor.

Sic

Sic quoq; nodoſam poteris curare podagram,
Illine, veſicæ ſic mala cuncta tuæ.

Bitumen, ἄσφαλτος. Italis, Bitume. Gallis, Il mon glueux. Brabantis, & Germanis, Jodenlym, & judenleim. Pinguis eſt ceu terrę adeps, colore & ſubſtantia picis. Optimum, quod è lacu cui mare mortuum nomen eſt, elicitur. Eſt & liquidum bitumen, quo Barbari axes vngunt & iumentorum ſcabiem. Diſcutit, glutinat, & emollit.

BALSAMVM.

Diſcutit horrores febris, fœda vlcera purgat,
Sic quoq; pulmones, & latera ægra iuuat.
Sic ſimul afflictos tuſsi & vertigine preſsos,
Sicq; oculis viſum reſtituiſſe poteſt.
Diſsipat & flatus, & dentibus, illine, confert,
Seruat & in ſicca imputre cadauer humo.

Balſamum, Arbor eſt folio (vt aiunt) rutæ, ſed candidiore, ex qua manat liquor ille precioſiſsimus, is quia ad nos non adfertur, eius loco poterimus vti Stacte, qui liquoris è myrrha eliciti flos eſt, aut (vt vult Cordus) oleo Cinnamomi. Pro carpobalſamo verò vtemur aut Cubebis aut garyophillis.

BARBA HIRCI.

Si latus abſceſſu premitur, flatuq; tumeſcit,
Radicis ſumpta flatus abibit aqua.

Quod ſi pro patria es pugnando vulnera paſſus,
Vulnera nil citius conſolidare ſolet.

Barba hirci, κόμη. Italis, Barba di Becco. Gal lis, barbe de boucq. Braban. joſephs bloemen. Germanis, Bocks bart. Stirps hæc Iunio menſe in pratis quibuſdam reperitur, radice candida, rotũda, digitum craſſa, guſtu dulcis & ſuauis: folia ſunt ab imo vſq; ad ſummum caulis ex ordine poſita Allij folijs ſimilia, ſed longiora. In cacumine flores prodeunt magni, lutei, radiati, ijs pereuntibus pappi crinitis capitibus ſubſequuntur. Calida eſt, & lacteo ſucco manat.

BARBA IOVIS.

Combuſtis planta hæc eſt appoſitiſſima membris,
Tantùm oleo tepidæ ſit benè miſta roſæ.
Surdaſtros cum lacte iuuat, ſi ſuccus in aurem
Funditur, & Venerem ſiſtere ſumptus habet.
Qualibet & ventris, matricis, flumina naſi,
Interimit vermes, dira venena ſimul.
Tertia quam breuibus verbis tibi pinximus herba,
Calfacit & ſtrumas diſſoluiſſe poteſt.

Barba Iouis, ἀείζωον τὸ μέγα. Sedum ſeu ſemperuiuum maius. Ital. Barba di Gioue. Gallis, Ioubarbe. Braban. donder bart. Germ. Hauſswurtz. Folia illi pinguia, craſſa, ſucculenta, ſtipata & copioſè congeſta, in tectis & muris herba frequẽs, & vulgo nota. Eſt & Sedum minus

&

& vermicularis dicitur, in petris, ſcrobibus & parietibus naſcens, caulibus multis ab vna radice, crebro foliatis, exilib. folijs, rotundis, pinguibus, mucronatis, quæ quoq; duplex eſt, vna florē fert luteum, altera quæ fœmina eſt, folium lōgiuſculum, florem album. Numeratur & tertium genus ἀνδράχνη ἀγρία, Telephium, Illecebra ſeu Portulaca ſylueſtris dicitur. Gal. Pain d'oiſeau. Brab. Muer peper. Germ. Katzentrübel, acris vt piper, proinde calida. Cæteræ frigidæ tertio, ſiccæ primo ordine.

BARBA CAPRÆ.

Prima tibi fluxus ventris, febresq; coercet,
Eſt ſtupido capitis grata ſecunda malo.
Menſtrua deducit, bilemq; è corpore purgat,
Diſſoluit callos, quos pituita creat.

Barba capræ, πυκνόκομον. Regina prati quibuſdam. Italis, Barba di capra. Gallis, Roinette. Germanis, Geiſsbart. Duorum eſt generum, vulgaris vna, in vliginoſis pratis, ſæpe inter ſpinas prouenit, duris & rugoſis folijs ac complicatis, inſtar foliorum Betulæ, per ambitum inciſis veluti Agrimonia, caulem emittit concauum, quadrangulum, fuſcum, qui interdum viri proceritatem attingit, florem copioſum, racematim compactum, coloris candidi, odoratum. Radix nigra, capillata,

astringentis saporis, vt glandes. Altera in vmbrosis locis reperitur, folijs maioribus, per ambitum serratis instar foliorum nucis. Caule est alto, flore candido, radice lignosa, amara, fusca. Pigamum vocant quidam & Rhabarbarum adulterinum, quòd radix & folia ventrem moueant.

CHAMOMILLA.

Digerit & laxat, recreat quoq; corpora lassa,
Pictaq; depulsa candida bile facit.
Sumito decoctum (modò non tua viscera phlegmon
Iam foueat) febris qualibet inde perit.
Tollit & è stomacho pituita incommoda lenta,
Natus & hinc sensim sub cute, schirrus abit.
Confortatq; caput aqua distillata, lapillos
Renibus educit, tormina, sumpta tuis.

Chamomilla, ἀνθεμις. Italis, Camomilla. Gallis, Camomille. Brabantis, camillen. German. Camillen blumen. Quatuor huius enumerantur genera. Nobilissima ex his siue recens, siue arida fuerit, iucundissimum spirat odorem. Forma sua ante florem Millefolium exprimit, cùm verò floret, Cotulæ quam Germani Krotten dyll dicunt, simillima est, per terram sparsa procumbit, ac facilè vbi humum attigerit, radicatur: vnde sine negotio plantari potest. Radices habet candidas & capillatas. Hæc Iunio mense in coliculos assurgit haud temerè palmum

palmum excedentes, tenues, in quorum fastigijs flores stellati, partim candidi, partim lutei, vulgari Chamomillæ similimi: nam intus aurei sunt, foris orbiculato ambitu candidi. Hęc admodum amara est gustu vti Absynthiũ, aut Matricaria, Hyemis & frigoris contemptrix, seritur in hortis, & interdum in muris prouenit. Altera Chamomilla, quæ grauiter olet, Cotula fœtida vocatur. Prior illa & nobilis, siue (vt volunt) Chamomilla Romana, Parthenium est à Dioscor. descriptum lib. 3. capite 47. Cotula fœtida nascitur plerunque inter fruges, & non aliter ac castoreum insessu, fomento, & odoratu, contra præfocationem vteri valet. Tertia eademque vulgaris chamomilla bis in anno floret, Vere inter segetes, & Autumno in agris rapitijs, folia huius teneriora, & magis laciniata ad viriditatem nigricantem vergunt. Quarta, alijs quidem similima est, sed planè inodora, proinde parum vtilis. Cotulaq; non fœtida vocatur, & Græcis, præsertim Dioscoridi est χρυσάνθεμον. At nostra vulgaris & tertia illa Dioscor. videtur Leuchantemon seu Melanthemon. Calefacit chamomilla hortensis (nam hæc cæteris præstat) item & nostra vulgaris, & siccat ordine primo, tenuium est partium, coquit, mollit, rarefacit, discutit sine attractione: vnde oleũ eius à Guidone vocatur Benedictum. Decoctio florum & herbæ cum aceto & aqua mirè valet pota ad

comitialem morbum & apoſtemata pulmonis. Denique ad omnes febres.

CARDVVS BENEDICTVS.

Sumito, confortat caput, infeſtosq́ catharros
Curat, & è gelido pectore phlegma trahit.
Dißipat & flatus ventris, renumq́ lapillos,
Et lateris pungens diſcutit herba malum.
Tum valet à ſæuo cor præſeruare veneno,
Et cœli fœda corpora ſana lue.
Hinc oris ſiccas, & gutturis vlcera rauci,
Cum diſtillata ſæpe fouebis aqua.

Chardon benet

Carduus benedictus. Multa ſunt Carduorum genera paſsim obuia in agris & in vijs. Inprimis eſt carduus fullonum, nihil aut parum medicinæ vtilis. Eſt carduus Mariæ, folijs lactucæ, ſed maioribus & aculeatis, Labrum Veneris appellatus, Dioſcor. ἄκανθα λευκὴ, cuius aqua diſtillata laterũ morbo & peſti auxiliari dicitur. Eſt tertius carduus, quẽ Germani vocãt Weiſs weg diſtel, iuxta ſepes ferè naſcitur, inter omnia carduorum genera maximus, folijs longis, caule procero, cano & albicante, veluti ac ſi tenui lanugine tectus eſſet, quod & in folijs ſpectatur. Huius radix in vino cocta & pota cruenta reijcientibus & purulenta, prodeſt. Semen omni veneno reſiſtit, & idem epotum conuulſis infantibus auxiliatur. Cæterùm eſt hodie admodum expetitus in cibum carduus ille Altilis, Cinara ſiue Strobilus dictus, Officinis Articocalus, Gall. Artichant, cuius capi-

tula

tula tenera, cum carnibus coquuntur, quæ etsi melancholicum ſuccum gignant, quia tamen Venerem excitare credũtur, ſimul & fœtidam vrinã, eo nomine magis expetuntur. Sunt adhuc multa carduorum genera, ſylueſtriũ & pratenſium, quæ quoniam nulli in medicina ſunt vſui, Aſinis relinquamus. Ad nobiliſsimũ illud cardui genus veniendum, & de eo tractãdum, qui Carduus Benedictus appellatur. Carduncellus quibuſdã ſiue herba Turcha. Gal. Chardon beniſt. Eum ſunt qui mollem ſeu Germanicum Achantum vocant, ſiue ſatiuum, quem Dioſcor. lib. 3. cap. 17. Herpachantam ab humi ſerpentibus caulibus, & Melamphyllon à nigro colore foliorum nominare videtur. Is hodie in hortis plantatus prouenit, folijs longis, nigricantibus, teneris, mollibus & pinguibus, caulibus digitali craſsitudine, interdũ tenuioribus, quod ad illos attinet, qui cauli primario adnaſcuntur ad latera, qui aculeatis folijs vndiquaq; ambiuntur. In vertice coliculorum, rotunda & lanuginoſa emicãt capitula, è quibus flos prorepit palleſcens, & in luteum colorem vergens. Semen ſubluteũ, alba lanugine inuolutum. Radix illi tenera, ſuccoſa: tota herba valde eſt amara, calida & ſicca. Mira eſt vis aquæ diſtillatæ ad vlcera & cãcros, ſi ea lauentur, & puluere aſpergantur eiuſdẽ. Item & ad omnia venena, ad hemicraneam curandam, & auditum reparandum infallibili experimento.

CALENDVLA.

Decoque cum vino florem, nam menstrua potu
Euocat, hinc dentes lotio facta iuuat.
Cuius aquam sumas, cùm pestis ab aere pendet,
Palpitat & cùm cor nocte dieq; tuum.

Calendula, Caltha, & Dioscoridi (si doctissimo Trago credimus) καλανάδκη. Catanances enim alterum genus esse existimat, quanquam Hermolaus Barbarus Leontopodium esse affirmet. Iacobus Manlius Herbam blancam vocat, Ital. Calendola. Gall. Soulcie dicitur. Brabant. goutbloemen. German. Ringelblumen, ob seminis in circulum acti figuram. Herba est fruticosa, caule binos palmos alto, radice candida & recta, folia Leucoion imitantur, nisi quòd longiora, latiora, & magis sunt herbacea. Frutex vnicaulis est, in cuius fastigijs globuli protuberant, qui foliculos virides referunt, è quibus croceus erumpit flos odoris grauis & non ingrati, quo decidente capitulum relinquitur, atque id est semen eius candidum & dulce. Maio mense floret, quo in statu vsque in rigidam hyemem perdurat: vnde non ineptè Calendula vocatur. Aqua florũ distillata oculorum rubori & inflammationi medetur, iniecta vel apposita linteolis.

CANNABIS.

Extinguit flatus, genitalia semina siccat,
Et calidam tußim semina sumpta leuant.

Con-

Contractos neruos radix decocta relaxat,
Et tumidos soluit nocte subacta pedes.

Cannabis, κάνναβις. Ital. Canape. Gall. Chanure. Braban. kemp. German. Hanff. Caulis illi rectus & inanis (de optima loquor, alioqui satiua duplex est) tenuis, flos exiguus, & ex luteo albicans. Alteri verò satiuæ caules, surculosi sunt in superiori parte, vt mediocrem arbusculam referant, semen in rotundis vasculis concluditur, folia nigricantia sunt & aspera, dissecta, sed inęqualibus diuisuris, ita tamen vt singula explicatæ manui, quàm proxima appareant. Porrò binæ hæ cannabes diuersæ forma, vt vides, vno semine procreátur in terram iacto; occulto quodam naturæ miraculo. Est & syluestris cannabis duplex: quæ apud nos prouenit hirsutum, lanuginosum, & nodosum profert caulem, folio aspero vestitum, surculi in vertice florent, alij purpureo, alij prorsus candido flore. Nascitur in antiquis muris, secus maceries & sepes, odore grauiori & fœtidiore quàm satiua, nec cum Dioscor. descriptione respondet. Semen cannabis manducatũ, stomachum lædit, & genituram extinguit, gallinis tamen datum, generandorũ ouorum etiam hyeme miram facultatem tribuit, aridam tussim & calidam (priuatim) potum emendat.

CASTANEÆ.

Castaneæ stomacho concoctu difficiles sunt,
Sed rabidi infirmant sæpe venena canis.

Iuppiter hæc pleno prætendit dona canistro,
Astringunt, fias parcius esse memor.

Castaneæ & nux castanea, διὸς βάλανος. Iouis glans. Italis, Castagne. Gallis, chastaigne. Braban. castanie. Germ. Kesten. Multæ sunt earum species, quas require apud Ruellium. Dolorem capitis inducunt, flatus generant, astringunt validè, & ægrè digeruntur.

COCHLEARIA.

Illine quò corpus fœda lentigine purges,
Siccaq; sint oris vlcera praua tui.
Sed bibe de succo cùm crura ex sanguine tetro
Liuida cum maculis, phlegmonibusq; tument.
Cumq; erodenti gingiuas pure madentes,
Oraq; sub tumido fœda liene vides.

Cochlearia. Ital. Cochlearia. Gall. herbe aux culiers. Brab. lepel cruit. Sunt qui putant esse Telephium: alij Britannicá Plinij, sed harum neutram esse euidenti argumento probat D, Vuierus libro Medicarum obseruationum rararum primo. A quo & hoc disces ternas eam exhibere formas, pro ætatis diuersitate. Primo enim ortu folia ædit Ophioglossæ, post adolescentiam carnosiora euadunt, Asaroque figura respondent, tandem tertio ætatis anno folia illi striantur & gracilescunt, flores albi perpetuò. Calida est & sicca, gustu acris, præcipui

ad.

aduersus Stomacaccen aut Scelotyrben, siue Scorbutum morbum vsus.

CERASVS.

Est calido tantùm ceraso sua gratia ventri,
Quem fructu soluit, mulcet & illa suo.
Arboris at gummi veterem subducere tußim,
Et lapidem renum comminuiße potest.

Cerasus, κέρασος. Italis, Ceragia. Gallis, cerisier. Brabantis, kerse boom. Germanis, Kirsenbaum, fructus frigidus & humidus est, bonum succum creant, sed parum nutriunt. Stomacho gratiora sunt rubentiora, & Milesia vocata, quòd vrinam pellant, & pituitam incidant, aluum soluant.

CALAMINTHA.

Ad coxæ multum potis est conferre dolorem
Illita, lumbricos, sumpta venena necat.
Decoctum tußes, vrinam, phlegmata pellit,
Ruptis, conuulsis, torminibusq; valet.
Creditur & febris succus delere rigores,
Et fœdum lepræ tollere poße malum.

Calamintha, καλαμινθή. Tres aut quatuor eius enumerãtur species. Prima est Nepeta vulgaris. Officinis herba catti. Gallis, herbe aux chat. Brabantis kattercruyt. Germ. Katzen kraut. Odore ad Melissam accedit, vt Vrtica

fruticat, nam & caulis & folia formam eius æmulantur, in hoc differt ab vrtica, quòd folia sunt colore subcinereo, tactu mollia, flos caulem ambit, vt in Melissa, vnde Melissæ species dici potest. Secunda species est Nepeta montana (vt volunt nonnulli) & est Saluia agrestis, folijs rotundis serratis & acuminatis, caules illi quadrangulares & purpurei, floribus flauis, ac copiosis sese mutuò excipientibus, vbi folliculo quodam semen teres continetur, ornati. Sunt qui secundá speciem, Calamentum montanum esse volunt. German. vocatum Wilder kirch jsop. Planta dodrãtalis, fruticosa, radice lignosa, capillata, caulibus lignosis, purpureis: vnde per æquales distantias, è singulis geniculis radiatim exeunt flosculi è cœruleo purpurascentes, instar hyssopi, folia sub floribus vt plurimũ bina, serrata, angusta, venis distincta, odore hyssopi; eam quidam Pulegium agreste vocant. Tertia Calaminthæ species balsaminæ forma & odore similis est, flore Stechadis, nascitur ad fossas, paludesque. Quarta grauissimi est odoris, folio Origani quæ (cũ præcedente) ad Mentham syluestrem possunt pertinere. Omnium vna penè vis, calent & siccant tertio.

CROCVS.

Si patiere animi defectus, sumito flauum,
Aut Venus assurgit si tibi rara, crocum.

Seu

Seu languet lento distentus phlegmate, pulmo,
Menstrua seu fuerint crassa retenta diu.
Siue rubent oculi, maculisue ex sanguine fulgent,
Delet confectum ex hoc cataplasma malum.
Maturat, mollit, lotium decoctaq; radix
Euocat, & renum soluitur inde lapis.

Crocus, κρόκος. Italis, Zaffarano. Brabantis, soffraen. German. Saffran. Flos eius Septembre appetente nudus ac purpureus primùm apparet mensis ferè spacio durans, intra quod tempus obseruari vult, ne flaccescat. Constat is senis folijs vti Narcissus Theophrasti, in cuius medio aurea erumpunt stamina, inter quę crocum rubro colore tinctum conspicitur, flos inodorus est, solum crocum quod in medio eius inter stamina elucet, odorem spirat gratissimum: flore pereunte, folia succedunt angustissima, longa, graminique similima, quæ tota virent Brama ad Maium vsque, postea euanescunt. Interim, quod mirum, radices bulbosæ intra humum augentur, tertio anno effodiuntur. Crocus paralyticis membris & induratis valde confert: vnde ad emolliendum fit Oxycroceum. Astringit & calet secundo, siccat primo. Crocus aut eius radix sumpta trium drachmarum pondere lethalis est: aliàs saluberrimus in iusta quantitate eius vsus.

Saffran

CEPA.

Concitat vrinam, genitalia semina gignit,
Frigidus & dentis tollitur inde dolor.

Vlcera, si forti viridis miscetur aceto,
Sanabit rabidi (crede) subacta canis.
Funditur in nares, oculosq; caputq; repurgat
Succus, & hoc sumpto pestis inermis erit.
Inde quoq; & crassus tenuatur corporis humor,
Sed capiti vapor est noxius inde tuo.

Cepa, κρόμμυον. Italis, Cipolla. Gall. oignon. Brabant. anuyn. German. Zwybel. Nota est, nec descriptione eget. Natura calida est & flatuosa, teste Galeno. Qui operas exercent, cepam cum sale & pane edere solent aduersus pestem, addentes theriacam, & certè hoc ad arcendam venenosam intemperiem efficax est. Cæterùm otiosis cepa comesta, generat dolorem capitis, caliginem oculorum, mentis alienationem, lethargum. Aniculę cepam crudam dissectam in aquam fontanam inijciunt, & per noctem macerant: postea eam aquā dant pueris ad eijciendos lumbricos ventris, nec successu infelici. Semen cepæ continuò exhaustum genitale semen auget. Idem facit cepa. In arenosis porrò campis nascitur quoddam syluestris cepæ genus, auellanam nucem non excedens: hoc appetente Martio folia fundit. Porrò similia singuli bulbi bina ferunt folia, è quorum medio coliculus prouenit rotundus, luteis flosculis emicās, odor & sapor plantæ huic qui cepæ, Bulbus agrestis dici potest. Quid enim aliud est Bulbus, nisi multiplex & compacta quædam ceparia radix, quales sunt

lilij,

lilij, hyacinthi, ceparum, allij: hæc cepa syluestris nullius est vsus in cibo, foris tantùm apposita emollit.

CAPILLARIS HERBA.

Abscessus, strumas soluit, renumq́; lapillos,
Et densam reddit calue proterue comam.
Decoctum iecori confert, pariterq́; lieni,
Compescit tussim, menstrua sera mouet.

Capillaris seu Polytrichon. Brabantis vocatur wederdoot. Germanis, Jungfrauwen har. Triplex est: elegantissimum in muscosis semperq́; humectis locis prouenit capillo potius quàm caule, læui, eq́ue purpureo, aureo, digitũ longo capitulo in summo protuberante, folijs ruffescentibus, ternis aut quaternis, magnitudine lenticulam palustrem æquantibus, humi sparsis. Secundum Polytrichum (de quo quidam aureos montes policentur) aliquanto procerius est, & ad purpureum magis accedit colorem. Hoc in syluis è muscosis quæ corruerunt arboribus prosilit. Tertium dicto simile est, & plerunque è rorulentis saxis prouenit. Harum omnium veteres non fecerunt mentionẽ, nisi sub capillo Veneris eas comprehenderint, cuius habent facultates.
Sunt qui ad has referunt herbam quandã, German. Harnkraut dictam, quæ libenter nascitur in locis arenosis, & prope ripas fluuiorum humecta in terra. Virgis aut filis potius tenuissimis humi procumbentib. quæ folijs vestiũtur

perexiguis lenticulę ſimilibus,ſemine inter fo lia copioſo ac mirum in modum ſtipato. Nonnulli Empetron eſſe volunt, quam Dioſcor.libro 4.cap.174.deſcribit.

CARDOPATIVM ALBVM.

Illinc quò ſcabiem,potu,peſtemq́; repellas,
Quò ventris vermes,quò modereris aquam.
Quò ſimul iſchiadem cures,laterisq́; dolores,
Et quò diſruptis conſuluiße queas.

Cardopatium album, χαμαιλεὼν λευκός, Chamæleon albus, Carlina aliàs, ſeu Carolina, quòd Carolo Magno in peſtis remedium oſtẽſa ſit. Ital. Carlina. Brabant. dicta euerwortel. Germ. Eberwurtz. Duo ſunt eius genera, vnũ quod aſperis & in altis montibus prouenit, radice longa, nigra, ſuperiori parte ſui diſſecta & corroſa, quæ quotannis nouos emittit caules in vertice aculeatis & pallidulis floribus emicantes. Alterum verum & exiguum, vbique ferè locorum prouenit, potiſsimum in aſperis mõtibus, quod nonnulli Succhaam Arabum putant, folia habet Carduo ſimilia, caulem nõ promit, verùm ex medio ſpinas Echini marini aut Cynaræ modo erigit, flores purpureos, radicem craſſam, aliquatenus aromaticam, albá intus, graui odore, dulcem. Eſt etiam & niger Chamæleon, ſed à quo abſtinendum dicunt. Radicis albi chamæleontis vſus eſt ſalubris.

Clo-

CLEMATIS DAPHNOIDES.

Laxatum reprimit ventrem succus foliorum,
Siue ore expueris sanguinolenta iuuat.
Mitigat immensos vteri dentiúq; dolores,
Et nocua infirmat cuncta venena feræ.

Clematis Daphnoides, κληματὶς δαφνοειδὴς, Vinca peruinca. Alijs & Chamædaphne. Ital. Chamędaphne. Gal. Vinche ou lisseron. Brab. vincorde, mæchdē palm. Ger. Yngrun, humi serpit, folio lauri, sed minore, viticulas spargens crassitudine Iunci exiguas. Martio mense florem fert ex purpura cœruleum: quinis foliolis distinctum instar Boraginis, prorsus inodorum. Viret per totam hyemem. Meminit Dioscorides, & alterius Clematitis, sed formæ à præcedente diuersæ. Nam viticulosos quidem emittit ramulos, sed rubescentes, repitque per arbores, gustu acri & exulcerante, vique bilis & pituitæ purgatoria. Gall. Viorna vocatur. Thuscis Vite alba. Porrò siccitas in priore clematite cæteris qualitatibus præualet cum astrictione & amarore. Si quis habet vinum turbidum, & quod colorem amisit, effundat illud in aliud vas, & inijciat aliquot manipulos huius herbæ per quindenam, & vinum breui purissimum reddetur, & geminum colorem recuperabit, id quod certa experientia est comprobatum.

CVPRESSVS.

Si folijs myrrham ex passo miscebis odoris,
Vrinæ accipies commoda multa tuæ.
Restringunt fluxus ventris, tussesq́ cruentas,
Renibus hinc coëunt vulnera cruda tuis.
Illine quò sacris succurrant ignibus, & quò
Discutiant flatus, phlegmona cuncta doment.
Quæq́ vel in scrotum sunt intestina relapsa
Extollant, firma sustineantq́ cute.

Cupressus, κυπάριοσος. Italis, Cypresso. Gal. Cypres. Brabant, cipressenboom. Arbor est fronde semper virescenti, profert fructum siue nuces ter in anno. Semen habet minutissimum, eiusque lignum nulla vetustate corrumpitur. Lachrymam fundit liquidam, gustu acrem. Refrigerat & astringit cupressus.

CHELIDONIVM.

Illustres oculos succus perfusus in ægros,
Efficit, & bilem, sumito, planta trahit.
Ad stomachi morbos, melius, cerebriq́ catharros,
Ad lapidem renum nil statuisse queas.
Inditus in nares deducit phlegmata, cancros,
Oris persanans vlcera fœda tui.

Chelidonium, χελιδόνιον. Italis, Chelidonia. Gallis, Esclere. Braban. gout wortel. German. Schölwurtz. Duplex est, maius & minus. Primum, folio tenero, amplo, dissecto vestitur, colore herbaceo, altera parte ex cæsio viridi.

Cau-

Caules profert teretes, hirſutos, albicãtes, multis ramulis brachiatos, flore luteo ſecundum ſingula folia prodeunte conſpicuos, quæ cùm inciduntur cum caule, croceum ſtillant lac, & præſertim radix, quæ aureo planè eſt prædita colore: altera Chelidonia inter rudera quoque in rupibus, opacis ac incultis locis prouenit, maiori chelidonio per omnia ſimilis, niſi quòd omnia in ea magis exigua. Radix fuſca, breuis, capillata. Caulis rubeus, lanuginoſus, geniculatus, nodoſus, cuius folia inferiora quæ humi procũbunt, rubent: quin & eius flores purpuraſcunt inſtar violarum, planta eſt grauiſsimi odoris, & qui Meliſſam exprimat. Latini hanc Gratiam Dei appellant, quidã Ropertianam, & herbam Roberti, nonnulli Acum moſchatam, quam & Geranijs annumerant. Eſt & alterum minus Chelidonium, à Dioſcor. deſcriptum. Officinis Apium hemorroidarum dictum, Scrophularia etiam à curandis Scrophulis, Germ. feigblatern Eppich. Herbaceo eſt & viridi colore, folijs minoribus veſtita, rotundioribus tamen & mollioribus hedera, per terrã ſparſis. Radices illi toroſæ, inſtar grani hordeacei oblongę, capillamentis fibratæ, caulem habet exiguum, tenuem, florem luteum, & qui ſtellulã referat. Mirificè ficos & mariſcas ſanat. Maioris chelidonij manipulũ accipe, hoc eſt, quantũ manu tenere potes, coque in ſextario roſacei aceti, decocto percolato adde theriacæ

vnciam vnam semis: & cyathum peste correptis exhibe, & sudent, proculdubiò liberabuntur. Expertum est. At gratia Dei efficacissimè medetur vulneribus, Erisypilatis, exulcerationibus oris, mammillarum, & pudendorum, sed ad Chelidonium maius redeo. Et hoc addo, quòd priuatim serosi humoris ad articulos vulneratos decumbentis fluxum (quem Germani das Gliedwasser nominant) sistit. Curat quoque Carcinomata, Phagedenas, & vlcera omnia.

CALX.

Mordet & exurit, nisi sit perlota, resiccat,
Inducit crustas vlceribusq; feris,
Mista tamen pingui rudis hæc natura facesset,
Concoquet, & molli vestiet illa cute.

Calx, ἄσβεστος. Ital. Calcina. Gall. Chaux. Brabantis, calck. German. Calck, modum conficiendę calcis ex marinorum buccinorum testis, item & Óstreorum, & ouorum, recenset Dioscorides. Quæ ex albo lapide fit apud nos, sæpius aqua elota, & demum rosacea, mirum in modum prodest vnguentis vlcerum malignorum, sine morsu desiccatorijs immixta. Calefacit calx & siccat ordine quarto.

CORALLIVM.

Illine, manantem sistit de nare cruorem,
Et fluxus ventris supprimit ipse tui.

Ex-

Explet perpulchra fœtentia vulnera carne,
Et nitidos oculos conciliare poteſt.
Liberat & potu carnoſa mole lienem,
Vrinæ ſtimulos ſubſtituitq; graui.

Corallium, κοράλλιον. Italis, Coralli. Gall. Coral. Brabantis, corael. German. Coralen. Lapis eſt colore rubeus, rotundus in morem tuberis: in mari naſcens, calami Indici inſtar. Frutex igitur eſt, ſed duratur ſtatim atque emergit. Piſcatur in quibuſdam Thyrreni maris tractibus non rubri tantùm, verùm etiam albiſsimi coloris, quanquã is magis ſit ſpongioſus & minus ponderoſus. Occulta quadam vi Epilepſię medetur Corallus, & lætitiam parit, refrigerat & ſiccat ſecundo cum aſtrictione.

CARDIACA.

Sub mamma quoties cor palpitat, hunc tibi ſuccum
Sumito, vulneribus quò medeare tuis.
Quò menſes ducas, fœtus Iunone fauente
Quò videat fatis aſtra benigna ſuis.

Cardiaca, Agriapalma aliàs. Ital. Cardiaca. Brabant. Hertzgeſpan. Vrticæ proxima eſt, folijs quæ prope terram ſunt rotundioribus, laciniatis Ranunculi modo, caulis quadrangulus, in quo bina vbique folia paribus interuallis exeunt, oblonga, per ambitum ſerrata, flores Vrticæ fert fœtidæ, qui in purpureo albicant, radix amara, in rubro palleſcens.

CICER.

Lac auget, flatu penem distendit & aluum,
Sanat quos morbus Regius intus habet.
Sumito, sic menses, duces de rene lapillum,
At scabiem abluito corporis inde tui.

Cicer, ἐρέβινθος. Italis, Ceci. Gallis, cices. Brab. cicern. Germanis, Zyser erweissen. Tria eius sunt genera, album, nigrum & ruffum. Consimilia quidem inter se, odore & forma, sed flore differunt, qui in alijs est roseo, in alijs cádido est colore. Phasiolis aliàs simillima. Calefacit cicer & siccat ordine primo, lædit exulceratam vesicam & renes.

CNICVS.

Semine purgabis craßam stomachi pituitam,
Cumq́; suo flatu tutus hydropis aquam.

Cnicus, κνῖκος ἀγρία. Ital. Cnico. Gall. saffran bastard. Braban. wilde saffraen. German. Wilden saffran, officinis Cartamus. Seminis Cartami oblonga, candida & quadrangula semina, postquam sata è terra erupere, breui in altum sese attollunt, caulesq́ue emittunt rotundos & bicubitales, multisq́ue solidis, angustis & aculeatis folijs vestitos. In cacumine horum multi visuntur ramusculi, capitulis rotundis & aculeatis emicantes. Illa eadem mense Iulio in florem sese explicant croceum, odoratum, quem hortulani euellunt & vendunt: ijs enim

enim flosculis tusis pauperes condimenti vice vescuntur, nec malè: nam & cibos croceo colore commendant, & aluum emolliunt. Semen tusum ac in iure carnium ac ciceris arietini bullitum & potatum, phlegma, & lentos viscososque trahit humores, & purgat sine noxa.

CICVTA.

Illita lasciuæ Veneris per somnia vultus
Pellet testiculis ipsa cicuta tuis.
Vrentesq; loci sic cuiuscunq; tumores,
Aut oculi flammas sic moderare tui.

Cicuta, κώνειον. Italis, Cicuta. Gallis, Cigne. Brabantis, dulkernel. Germanis, Schirling. Caulem edit geniculatum, concauum, è cuius alis & sinubus surculi alij prodeunt vmbellis candido flore conspicuis emicantes, semen Aniso respondet, infesto odore præditum, folia sunt illi instar syluestris Cherefolij, radicem habet longam, graueolentem. Refrigerat validè cicuta, atque adeò venenum est. Remedium aduersus illud, vinum est meracum. Malè olim ab indoctis vocabatur Harmel.

CYDONEA.

Firmas matricis, iecoris, stomachiq; calentem
Vimq; erumpentis sanguinis inde premis.
Cœliacis prodest, choleræ, tussiq; cruentæ,
Cuiq; vrina moras semper amara facit.

Cydonea mala, κυδώνια μῆλα. Pomum lana, tum Plinio dicitur, à lanugine qua vestitur. Italis Cotogno. Gallis, Poume de coing. Brab. queappel. German. Kütten oder Quittenapffel. Multa Cydoniorum apud veteres enumerantur genera. Refrigerant omnia, & siccant cum astrictione, stomacho vtilia.

CICHOREA.

Mitigat ardores stomachi, fœcundaq; reddit
Vbera, serpentum vulnera dira domat.
Cessat & exhausto demum stranguria succo,
Phlegmonis interni subsidet inde calor.

Cichorea, κιχώριον. Ital. Cicorea & radicchi. Cichoree Gallis dicitur. Germanis Wegwart. Cichoreæ omnes circa solstitium æstiuum florent secundum itinera & vias. Radices habent longas instar fœniculi, quæ antequam caules producant, amarum lac manant. Folia prima humi sparsa procumbunt, nō aliter quàm hieraciorum, colore incano, aspera, scissa, caules proferunt surculis brachiatos, sed non perinde foliatos, quin foliorum loco ad summitatem vsque ramulorum plurimi extuberant toruli, qui aperti cœruleos emittunt flores cum Sole se circumagentes: vnde herbæ solares & Solsequia appellātur, siue Heliotropia. Nam cùm interdiu dehiscant, Sole occidente cōprimuntur. Inueniuntur & in hoc genere (licet rarò) quæ

quæ partim candidum, partim roſeum gerant florem. Eſt quoque inter Cichoreas celebris illa, quę maxima euadit, nam altitudinem mediocris arboris attingit multis ſurculis brachiata, foliolis acutis & pennatis veſtita, flos illi luteus vti lactucæ, qui in pappos tandem euolat, ferè in humidis naſcitur agris, lacteum ſimiliter fundens ſuccum. At ſatiua Cichorea omnium elegantiſsima eſt, caule, flore, ſemine, vulgari reſpondens. Sed cui folia radici proxima nequaquam inciſa ſunt, ſed integra Endiuiæ penè ſimilia, ſed anguſtiora, guſtu ſubamara. Hyemari poteſt hæc herba, & in acetaria adhiberi. Ad Cichoreas igitur attinent Sonchus ſiue Cicerbita & Taraxacon aliàs dicta, Brabantis, conycruyt. Gall. Laicteron. Germanis, Genſsdiſtel, & Wilder haſen kol. Item huc pertinent & Endiuiæ ſylueſtres, de quibus poſtea. Refrigerant quidem omnes, ſed quædam alijs magis ſiccant, quædam ſimul abſtergunt & aſtringunt. Nam verbi gratia Cichoreæ luteæ herba, & radices tuſæ & ſubditę in peſſo menſes trahunt. Eædem (quas Condrillas appellant) vino decoctæ & potæ, veneno reſiſtunt. Tam lutea interim quàm cœrulea Cichorea in tenera ætate cibis vtiliter adhibetur, concoctionem namque adiuuant, & omnes obſtructiones iocinoris & lienis ſoluunt.

CAPHVRA.

Vrentes iecoris mulcet capitisq; dolores,
Effluxusq; tui seminis esa premit.
Vindicat à nocua viuens putredine corpus,
Atq; venenatis pestiferisq; malis.
Illita testiculi Venerem cohibere furentem
Dicitur, & facies inde nitere magis.

Caphura, *κάφουρα*, Camphora officinis. Ital. Camphora. Gal. camphre. Gummi est arboris in India nascentis. Optima Riachina, sic dicta ab eo qui primus dealbandę caphuræ modum inuenit. Arabes eam dicunt siccam & frigidam, alij calidam, quod verisimilius est. Mira est eius vis, vt solo odoratu castitatem conciliet: vnde versus,

Camphora per nares castrat odore mares.

CORIANDRVM.

Phlegmona discutiunt partis benè mista polentæ
Semina, sic potu, vermibus ipsa nocent.
Aßiduo mentem conturbant attamen vsu,
Sed Veneri & stomacho grata alimenta tuo.

Coriandrum, *κορίαννον*. Italis, Coriandri, Gallis, coriandre. Brabant. coriander. Vulgò ānis. Nota est herba, quæ facilè se suo fœtidoque odore prodit. In hortis & agris prouenit folio Petroselini, caule alto, ramoso, vmbellis ac floribus Petroselino similibus. Olent quidem

flores

flores grauiter admodum: Semen tamen rotundum & concauum fragrantiſsimum eſt, & intrò aſſumitur ſalubriter: herba verò vt venenoſa, refrigerans & ſiccans reijcitur, licet foris cum fabacea farina, & oleo roſaceo miſta ad inflammationes & tumores mirè faciat. Hoc etiam notandum, quòd ſemen coriandri non niſi præparatum debet mandi, furorem alioqui inducens. Cui malo remedium eſt Muria epota cum putaminibus ouorum.

CYANVS.

Siue oculi aut membrum quodcunq; calore rubeſcat
Illine, quò tepeat frigiditate facit.
Semen ſi drachmæ contritum pondere ſumes,
Soluitur è ſtomacho bilis aduſta tuo.

Cyanus, κύανος, Officinis flos frumentorum & Baptiſecula. Italis, Ciano. Gall. Bluet. Brabantis, corenbloemen. Cineracea habet folia, anguſta & acuminata, quorum nonnulla auriculas binas obtinent, veluti ſaluia minor. Frutex eſt ſurculoſus, flore candido, aliàs purpureo, ſed in frumẽtis ferè cœruleo reperitur. Nota eſt puellis hæc coronaria herba.

COSTVS.

Subditur hinc peſſus, ſic vuluæ incommoda quæq;
Menſtrua ſic longo tempore clauſa ciet.
Ad ſpaſmum, ſæuos & pectoris herba dolores
Febris & horrores, ad Veneremq; facit.

Coſtus, κόστος. Officinæ & Arabes amarum & dulcem oſtendunt, etiamſi de ijs non loquatur Dioſcorides aut Plinius, ſed de albo tantùm, niſi forſitan ad vetuſtatem ſpectauerint: ſic enim corrumpitur, & inde amareſcit. Hodie verus Venetijs adfertur. Alioqui illi ſubſtitui poſſet Angelica, in qua optimi Coſti notæ reperiuntur omnes.

CHAMÆPITIS.

His quibus obſtructum iecur eſt datur vtilis herba,
Et quibus ad ſummam aurigo refuſa cutem.
Emollit ventrem, mammas, renumq; lapillos
Veſicæ mota ſæpe remittit aqua,
Soluit & iſchiadem, grumos quoq; ſanguinis effert,
Innouat & pulchra vulnera ſæua cute.

Chamæpitis, χαμαιπίτυς. Officinis Iua moſchata, aliàs Aiuga vel Abiga. Italis, Chamepitio. Gallis, Iue muſquee. Brabant. velt cypres, Hoe langer, hoe liener, herba eſt in terram repens, ſubcurua, folijs acutis & cineraceis, hirſutis & pinguibus, circum ramos denſis, odore & forma pinus vel ſemperuiui minoris, flore tenui, luteo vel candido. Porrò Chamæpitis ſpecies eſſe poteſt, & ea quæ Chamæcypariſſus vocatur, frutex lignoſus, reſinoſum fundens odorem, folia habens cineracea, incana, exilia, prælonga, hirſutaque, Ericam æmulantia, flore lauri inſtar fulgente, herba eſt coronaria.

ria. Est porrò & alia Chamæcyparissus agrestis, quæ ad Chamæpytim etiam referri potest in agris frumentaceis nascens, elegantissima simul & iucundissima, quoad formam & odorem. Ea in arbusculam veluti Satureia excrescit, nigricantibus folijs, tenuibus ac incisis instar crucis. Quadrato cauli multi adnascuntur surculi, quos purpurei flores ambiunt veluti hyssopi, semẽ illi teres, & incanum. Sapor herbæ amarus est, odor Terebinthinæ aut Camomillæ. Calefaciunt omnes & siccant & hyperici ferè facultates obtinent.

CVCVMIS ASININVS.

Ad capitis magnos radix decocta dolores,
Ad podagram, ischiadem, nocte subacta valet.
Dissipat & lepram, maculas, œdema, latentem
Anginam, ad rabidi hanc tormina dentis habe.
Elicit & gelidum succus radicis hydropem,
Et iecoris flauam (sume) potenter aquam.

Cucumis asininus, σίκυς ἄγριος. Officinis & vulgò Asininus Erraticus, syluestris aut Anguinus. Italis, Cocomero saluatico. Gall. Concombersauuage. Brabantis, Esels concomer. Fructu solo à satiuo cucumere differt, quem longè minorẽ parit. Folia gerit Colocynthidi peregrinæ aut Bryoniæ similia, multis incisuris dissecta. Fructus oblongis glandibus non est dissimilis, ex eius succo fit Elateriũ in phar

macopolis vocatũ: calefacit, & ſiccat ordine ſecundo, purgatque bilem & pituitam ſine nocumento ſtomachi.

CVCVRBITA.

Ardentem mulcet febrem, Veneremq́ coercet,
Sumito de ſucco, mollior aluus erit.

Cucurbita, κολόκυνθα ἐδώδιμος. Italis, Zucca. Gallis, courge. Brabant. groot cawoerde. Germanis, Kürbs. Multa cucurbitarum ſunt genera, ſatis omnibus nota, omnia frigidæ & humidæ temperaturæ. Sunt qui purgationem ex cucurbita hoc faciunt pacto. Cucurbitam recentem excauant, vinoque repletam noctis ſpacio relinquunt, ac manè ieiuno ſtomacho illud vinum ebibunt. Aqua diſtillata cucurbitæ, & pota mirè iuuat eos, qui ardentibus laborant febribus, qui nullis alijs medicamentis ardorem comprimere poſſunt.

CAVDA EQVINA.

Siſtit manantem ſuccus de nare cruorem,
Ad quoſuis fluxus eſt medicina potens.
Hinc bibe, veſicæ, renumq́ recentia ſanas
Vlcera, ſed radix tuſſibus apta magis.

Cauda equina, ἵππουρις. Equiſetum aliàs. Italis Coda di cauallo. Gallis, queue de cheual. Brabantis, peertſteert. German. Schafftew. In riguis & ſcrobibus naſcitur. Duorum eſt generũ. Quoddam enim nudo calamo omniq; folio

folio carente inſtar iunci proſilit: alterum verò caulem habet è geniculis, capillamentis potius quàm folijs veſtitum. Vtraq; ſub Maium aſparagos emittit, in quibus flos eſt. Maximo vſui eſt ea quæ ſcabra & aſpera eſt, nam culinarijs vtenſilib. expoliendis ea vtuntur mulieres.

CORONOPVS.

Cœliacos ſanat, flatusq; incommoda tollit,
Decocto renum conteriturq; lapis.

Coronopus, κορόνοπος, Crus galli quibuſdam. Herba ſtellæ officinis, in hortis hodie plantatur, acetariorum gratia, tantùm abeſt, vt inter ranunculos illos corroſiuos adnumerari debeat. Oblongis tandem conſtat folijs in multas partes laciniatis, iuxta folia nudi quidam coliculi in ſpicas exeuntes aſſurgunt, vti plantaginis. Quòd autem eam Plinius aculeatam eſſe dicit, intellige (inquit Matthiolus) de aculeo molli. Coronopus vnà cum radice ex deſiccantium eſt ordine & aſtringentium.

CENTAVRIVM.

Continuas febres, bilem cum phlegmate ſuccus
Purgat, & eſt oculis vtilis ipſe tuis.
Euocat & fœtus, menſes, neruosq; reſiccat,
Iſchia demſoluit, vulneribusq; valet:
Eijcit & vermes ventris, coliq; dolores,
Et quæ ſunt ſtomacho mox nocitura tuo.

Centaurium minus, κεντάυριον μικρὸν, fel terræ aliàs & febrifuga appellatur. Ital. Cētauro.

Gallis, Centaure. Brabantis, cleen centori. Germanis, Dausent gulden. Herba est, caule recto, flore in summo ramulorum ex puniceo in purpuram vergente, quo decusso, siliquæ exiguæ subnascuntur. Folia habet primùm humi sparsa Anagallidem exprimentia & cineracea. Iunio mense in coliculum dodrantalem assurgit. Radicem habet exiguam, vnicam, tenuem, rectam, lignosam. Vbertim nascitur in graminosis agris, atque aridis campis, herbaq́ue destitutis. Amara est herba, discutit, educitq́ue crassas, cholericas, pituitosasq́ue humiditates. Pro pueris & delicatis detur quotidie vnum atque alterũ cochlear huius decocti ad interficiendos lumbricos. Quidam herbam in pulverem redactam, ex vino dant ad ischiadem, neruorum vitia, & podagram. De Centaurio maiori dicemus in Rhapontico.

CARDAMOMVM.

Hæc si cum lauri vel cortice semina sumes,
In neutro renum calculus asper erit.
Sic quoq; conuulsæ mulcebis tormina coxæ,
Sic multò cerebrum firmius esse solet.

Cardamomum, legitimum, καρδαμόμον, hodie vix habemus. Nam quod maius hodie ostenditur Nigellæ semen & Meligettę nullum est Cardamomum vel Græcorum, vel Arabum. Sumenda igitur illius loco grana paradisi sic vocata, aut Cyperus.

Cucu-

CVCVMIS.

Smegma fac ex succo, & cũ semine iunge farinam,
Lucebit facies, tersa nitore nouo.
Suscitat vrinam, vomitum, fastidia, ventrem,
Sed Venerem multi non sinit esse thori.

Cucumis, notus est, & illi affines, pepones, melones & citrulli citrini, siue citruli: nam ferè omnes, folia, caules, flores habent similia, folia melonum & peponum, rotunda sunt & aspera. Ramuli duplici eoque luteo emicant flore, quorum alter decidit, alter fructum facit, qui nihil aliud est quàm pomum quoddam, sed diuersæ formæ & coloris. Inuenias enim melones & pepones alios oblongos, alios rotundos, nonnullos luteos, quosdam virides: hi omnes foris cernuntur striati aut sulcati: intus verò succosi, seminibus liratim digestis, odore suaui & iucundo. Succum omnes suppeditant frigidum & humidum: semina tamen arefacta incidunt & abstergunt. Porrò inter cucumeres numerantur & quibusdam mala Indica siue Æstiua appellata, vulgò Zuccomarina, quæ partim ex Syria, partim ex India ad nos veniunt, & in hortos nostros commigrarunt. Quorum alia magna, alia parua, quædam rotundæ figuræ, alia oblonga, rursus hæc dulcia, illa amara, quædam aurea, alia pallida, alia candida, folia habent cucurbitæ similia, aspera, & quæ se suis flagellis proximis

fruticibus alligāt veluti Brionia. Flores ferunt cymbali formam repræsentantes. Poma exteriorem corticem lignosam habent, intus crocei sunt coloris: coquitur illorum caro, & editur vti rapa, nec est cibus contemnendus,

CORNV CERVINVM.

Si fluit ex læso sanguis tibi pectore, vermes
Si tibi sunt, cerui cornua trita cape.
Huius & immensos animalis sume pudendum,
Adventris fluxus pestiferamq; luem.

Cornu ceruinum, ἐλάφου κέρας. Ital. Corno di ceruo. Gallis, corne de cerf. Cerui fel non habent, & in cauda viridis & lethalis est eis humor si edatur. In corde contrà, os habent aduersus animi defectus & venena potens, cornua ceruorum iuuenum cum pipere & myrrha in potum exhibita mirabili sunt effectu ad dolores colicos.

COLOCYNTHIS.

Phlegma trahit, tandem bilem perpurgat vtramq;,
Ischiadem, tusses, asthmaticosq; leuat.
Hinc quoq; fit pessus, sic menstrua subditus vrget,
Sicq; dolor dentis perline magnus abit.

Colocynthis, κολοκυνθίς, Barbaris Alhandal. Italis, Coloquintida. Gallis, coloquinte ou courge sauuage. Braban. appel coloquint. Germanis, Bitterkürbs. Sarmenta foliaq; satiui cu cumeris emittit, fructum rotundum, intus fungosum. Est alia Colocynthis quæ Germanica dici potest, quoniá & in Germania quoq; seritur

ſeritur & ſeminatur, quę alterius ferè eſt generis ab ea, quæ ex peregrinis terris nobis aduehitur. Folia profert nigricantia, aſpera, forma cucumerem luteum repræſentantia: caules eius ſeu ſarmenta rotunda ſunt & aſpera, humi repunt vti Brionia, ita vt vna planta latiſsimũ interdum campum veſtiat, nam habet clauiculas quibus vicinis ſe alligat fruticibus. Duo florum emittit genera, quorum alterum euaneſcit, alterum fructum poſt ſe relinquit in modum Pyri turbinatum, maturumq́; citrei cernitur coloris. Hic bilem & pituitam leniter, & citra periculum purgat. Eum enim excauare oportet, fungoſamq́; eius medullam cum ſeminibus cyatho vini inijcere, & quatuor aut ſex horis maceratam, per linteolum exprimere, expreſſumq́; ſuccum noctu cùm cubitum ire voles bibere.

CYPERVS.

Si cupis adſtrictas Veneres aperire, lauabis
Huius decocto membra ſecreta frequens,
Deduces potu menſes & corpore ſuccos,
Quos iecoris vitio nocte reportat hydrops.
Vlcera ſic oris vel depaſcentia ſana,
Sic renes multa commoditate bea.

Cyperus, κύπειρος, iuncus quadratus aliàs. Celſo triangularis. Ital. Cipero. Gallis, ſomchet. Brabantis, wilde galigaen. Folia fert porraceis proxima, ſed exiliora, caulem anguloſum, radices cohærentes inter ſe, ſuaui odore,

& amaro guſtu. Hodie è Syria adfertur, noſtrâ longè odoratior. Aliud genus Cyperi, quod deſcribit Dioſcorides, & nobis ex ſola India mittitur, vera putatur Officinarum Curcuma, gingiberis effigie, croci odore, quam olim Barbari Chelidoniam eſſe putabant.

CHÆREFOLIVM.

Vtilis eſt ſtomacho, grumos è corpore ducit
Sanguinis, & tandem menſtrua tarda ſimul.
Compeſcit vomitum, vētris quoq; tormina mulcet,
Et quoſuis vermes corporis herba necat.

Chærefolium, ἀνθρίσκος. Theophraſto & Plinio Holitorij generis herba eſt ſatis nota. Italis, Cerfoglio. Gall. cerfueil. Brabantis, keruel. Germanis, Korffel, non eſt interim Gingidium (vt quidam putant) neque enim guſtu amarum eſt, ſed acre & aromaticum, mediæ temperaturæ eſt inter calidum & frigidum.

CATAPVTIA MINOR.

Sumito, nam bilem & pituitam terget aquoſam,
Quæ grani, ſimilis vis quoq; frondis erit.
Herba ſuper ſtomachū, vomitu trahit omnia cruda,
Tutaq; vel ſano eſt hæc medicina viro.

Cataputia minor, λάθυρις. Italis, Cataputia. Gal. Eſpurge. Brabantis, ſpring cruyt. Germanis, Springkorn, caulem emittit cubiti altitudine,

dine,& digitali craſsitudine multis ſurculis ac ramis brachiatum, ſubpurpureum,ab imo vſque ad ſummum oblongis & pinguibus folijs veſtitum, amygdali aut ſalicis folia repræſentantibus,ijsque altera parte albicantibus. Semen gignit Cannabino ſimile, quo in purgationibus vti conſueuerunt aniculæ : nam nouem aut ſeptem tuſa,& ex vino potanda dant, ſic enim vomitiones ciet,choleram,phlegma, & melancholiam purgat, ſed ſi detur cum maſtice,Aniſo aut ficis, deinde ſuperbibatur aqua frigida, ne inflammationem excitet aut euertat ſtomachum violentius, tutior erit purgatio.Folia poſſunt olerum modo decoqui, & in potu vſurpari ad purgandam aluum, & ad vomitum : fit & ex ijs coctis emplaſtrum ſuper ſtomachum ad vomitũ ciendum ſine periculo,

CEDRVS.

Corpora corrumpit viuentia, mortua ſeruat
Cedria,pulmonis vlcera fœda iuuans.
Interimit vermes,viſum conſeruat,& aurem,
Subuenit anginæ,cuncta venena necat.

Cedrus, κέδρος. Duplex eſt: vna iunipero ſimilis, altera arbor eſt iuſtæ altitudinis, vtraque calefacit & ſiccat tertio. Montanus credit noſtram iuniperum veterum eſſe Cedrum,cuius oleum Cedria dicitur.

CERVSSA.

Vlceris ardores reprimit, carnemq́; reſoluit,
Et ſiccata tegit vulnera cruda cute.
Sumpta venenoſa tamen hæc cor ſuffocat aura,
Copia cui lactis ſubuenit hauſta malo.

Ceruſſa, ψιμμύθιον. Italis, Ceruſſa. Gall. ceruſſe. Brabant. lootwit ceruſe. German. Bleyweiſs. Plumbum eſt acerrimi aceti halitu incraſſamẽtum, poſt in truſatili mola tritum, denuò cribratum in pollinem reſolutum. Ea exuſta donec rurſum colorem imbuat. Scandicem facit, officinarum minium: venenoſa eſt.

CONSOLIDA MAIOR.

Ad vitium fœdi pulmonis, ruptaq́; membra,
Ad fluxum multi ſanguinis herba datur,
Vulnera componit ſiccatq́; recentia radix,
Vlceribus renum conſuluiſſe potens.

Conſolida maior, Σύμφυτον, Solidago aliàs. Italis, Conſolida. Gallis, Conſire. Brabantis, walwortel. German. Schmerwurtz. Caulem emittit cubitalem, hirſutum, aſperum, concauum, multis germinum ac ſurculorum alis diſtinctum, quæ inflexis foliolis inſtar Boraginis veſtiuntur. Flos illius in rotundam quaſi ac cauam campanulam exit, veluti herba paralyſis, atque his partim ex pallido & luteo colore candicat, partim verò ex purpureo cœruleus

leus est. Flore decedente semen in herbaceis vasculis clausum relinquitur. Radix est illi foris nigra, intus cádida, glutinosa, cuius est præcipuus in medicina vsus. Hinc adnumerari potest Consolida media, quæ Bugla quibusdam appellatur. Item & Prunella siue Brunella. Germanis, Braunell dicta, quòd experientia obseruatũ sit, eam Aphtis & oris exulcerationi ac gulæ ardori (quę vitia Germani die Brenne appellant) mirificè conferre, cuius (vt hoc obiter adnotem) septem enumerantur genera. Prima & verissima German. Gunsel vocata, in pratis reperitur & collibus, folio vestita molli, caule quadrangulo & concauo, quẽ flores vndiq; circundant cœrulei, vt in hedera terrestri. Inter flosculos nonnulla ex purpureo viridia folia posita sunt. Flos iucundum odorem spirat: huius generis reperitur, flore etiam candido planè. Altera & secunda nihil à prima dissidet, nisi quod folio est hirsutiori. Duæ sunt aliæ, quæ solo florẽ ab ijs distant, quoniam alteri candidus is est, alteri purpureus. Sexta florem profert magnum & purpureum, qualem Stœchas. Septima huic similis, sed prorsus candida. Meminit Diosc. Symphyti petrei, siue Halialiàs, sed nobis ignoti, nisi sit Consolida illa syluestris, quæ tota sua substantia maiori Consolida, viscosior & glutinosior euadit, radice fusca, sapore dulci. E radice Maioris aqua distillatur potens ad omnia, ad quæ radix.

CENTVMNODIA.

Manantem è venis decoctio sumpta cruorem
Supprimit, & bilis sistitur inde furor.
Inde paroxysmum febris, mensesq; coerce,
Et stomachi ardores, seminis inde tui.

Centumnodia, πολύγονον. Sanguinalis & corrigiola officinis. Ital. Polgrano. Gallis, Renouee. Brabantis, duysent knoop. German, Weggrass. Ramos habet teneros, rotundos, geniculatos & nodosos, flosculus illi aut candidus aut ex purpura candicans emergit, qui tandem in triangulare granum abit. Mas est & fœmina, sed hæc rarior est, & in humidis potius quàm campestribus fruticat, vno caule, arundini teneræ simili, densis geniculis in se tubarum modo farctis, refrigerat & astringit.

CICLAMEN.

Accelerat partum radix de pectore pendens,
Sumptaq; de tumido corpore ducit aquam.
Vnde etiam morbus (sudorem vestibus ante
Elice) prodibit regius vsq; foras.
Crescentes eadem papulas faciemq; repurgat,
Illine, mitior hinc vere podagra redit.
Hinc quoq; sint pessus ad menstrua rara, veternum
Mollior vt fiat hinc cataplasma lien.
Sic vel matricem poteris releuare cadentem,
Tormina vel ventris sistere cuncta tui.

Ast oculi succus maculas infusus & vngues,
Delet & hunc visus, commoditate nouat.

Ciclamen, κυκλάμινος, Arthanita vocatur officinis. Ital. Ciclamino. Gal. pain de pourceau. Brab. verkens broet. Ger. Waldrub en, schwẽbrot. Nascitur in vmbrosis & vliginosis locis, maximè sub arboribus, radice nigra, rotunda, lata, acri & exulcerante, folijs humi in orbem sparsis, hederæ similibus, viroris saturati: altera quà terram spectant, subruffis, altera susque deq; maculis albicantibus aspersis, inter quæ flores in autumno rosarum effigie emicant. Radicis puluis datur drachmæ pondere efficaciter ad morbum regium. Vtile inde fit vnguentum ad Perniones & scabiem, item & ad purgandum ventrem.

CALCHITIS.

Rodit & obducit pascentia vulnera carne,
Vsta oculis purgans est medicina tuis.
Absumit callos, & dentibus illita confert,
Ex canis nigros reddis & inde pilos.

Calchitis, χαλκίτις, hodie vix reperitur, Colcotar vocatur Barbaris, lapis est è quo æs etiam coquitur, mollis natura, vt videatur lanugo concreta, doctissimo Adriano Iunio creditur esse vitriolum rubrum siue atramentum citrinum. Ad eius naturam accedunt Sory & Mysi, tenuitate partium & crassitie differunt.

CINNAMOMVM.

Exacuit visum, coquit, vri namq; reducit,
Expellit tußim, sumito, ventris aquam.
Inde suo menses deducis tempore fœtus,
Et cordi vires sufficis inde nouas.
Fœdaq; commendas fragrantibus ora flabellis,
Obstructas aperis inq; liene vias.

Cinnamomum, κιννάμωμον. Ital. Cinamomo & canuella. Gall. Canelle. Brabant. caneel. German. Zimmet, rurlin. Aroma fragrantissimum est, quo hodie caremus, sed in eius locum forma & facultate successit Casia siue canella Nicolao Myrepto dicta. At Cassia fistularis siue Ægyptia siliqua sic vocata, nihil cum prædictis affinitatis habet. Est enim fructus arboris Fraxino haud dissimilis in India nascentis, cuius medulla aluũ soluit leniter, sanguinem purgat, renes & hepar. Cinnamomum calet & siccat tertio. Cassia fistula temperata est.

CASTOR.

Educit tardos partus, mensesq; reclusos,
Conuulsos validè digerit igne locos.
Singultus reprimit, quos multus suscitat humor
Neruorum, coxæ cessat & inde dolor.
Nec patitur longo cerebrum torpere veterno,
Nec tremulo corpus, sume, rigore quati.

Castor, κάστωρ, Fiber aliàs & canis ponticus. Italis, Castore. Gallis, Bieure. Brabant. beuer. Germ.

Germ.Biber. Animal eſt vitæ ancipitis, modò in terris, modò in aquis degẽs, Lutræ perſimilis, cauda glabra, & ſquamoſa. Eius teſticuli in vſu ſunt medico, calidi & ſicci ordine quarto. Epilepſiæ, Paralyſi, & omnibus morbis frigidis vtiliſsimi.

CVMINVM.

Sumitur ex vino ſemen quò tormina ventris,
Et magis infirma vt ſumpta venena fient.
Vtile pro tuſsi, pro frigiditate catharri,
Attamen hinc vultu pallidiore manes.

Cuminum, *κύμινον*. Italis, Comino. Gallis, commin. Braban. cumyn. German. Zam garten kümmel. Vnico plerunque caule aſſurgit, eoq́ue ſurculoſo, folijs fœniculo ſimilibus, ſemine copioſo, oblongo, ac omnino tali, quale officinæ oſtendunt. Eſt & cuminum ſylueſtre, quod folia gerit Gingidij, ſed rarum eſt: calet vtrumque & ſiccat.

CONSOLIDA REGALIS.

Phlegmonis interni flammas decoctio ſoluit,
Et potu lapidem renibus ire facit.
Suſcitat vrinam, ventris ſic tormina mulcet,
Atq; venenoſæ vulnera cuncta feræ.

Conſolida regalis, hanc ſunt qui Cuminũ ſylueſtre eſſe volunt. Gallis dicitur Pied d'alotte. Brabantis, ridderſporen. Germanis, Ritterſpor. Ea Iunio menſe in frumentarijs agris naſcitur vnico caule, vti & Cyanus, eoq́ue

multis virgulis & ramulis brachiato, folio admodum ſerrato Nigellæ per omnia ſimili. A ſingulis floribus penſilia promit cornicula in quibus ſemen.

CHRITMVM.

Si ſtomachus grata ſit deſtitutus orexi,
Si tepidus ſumpto langueat ipſe cibo.
Si iecur effuſa torpet per viſcera bile
Hinc votis veniet par medicina tuis.

Chritmum, χρίτμον, Officinis creta marina & Chritamus. Ital. Crithmo. Gallis, Fœnoil marin. Germanis, Meerfenchel, ſeruantur folia in muria, & capparum loco eduntur: fruticoſa & vndique folioſa herbula eſt, cubitum vnum alta, naſciturque in maritimis & petroſis, hæc eſt quæ Creta marina dicitur: altera eſt quæ Latinis Batis hortenſiana dicitur, quam Plinius Aſparagum gallicum eſſe tradit. Hæc ab olitoribus ad quotidianos vſus conſita vbique ſpectatur. Vulgus Gallicas vocat, ſalſo guſtu & quadantenus amaro. Non eſt tamen Empetrum, quòd neque bilem, neque phlegma expurget, nec aquam hydropicorum. Vide defenſionem Collimitij pro Plinio aduerſus Leonicenum.

COCHLEA.

Fluminibus quæ ſe viroſa eſt condit in altis
Cochlea, gratior eſt quàm Thetis ipſa gerit.

Peſſima

Peßima quæ viridi semper spatiatur in herba,
Nam turbat ventres, ad vomitumq; vocat.
Sæpe tamen gelidos siccat, suppone, tumores,
Inde quoq; & lepram ducta repurgat aqua,
Cui simul ex myrrha thuris miscebis aceruum,
Si vis neruosi vulnera sana loci.

Cochlea, κόχλιας. Ital. Chicciole & lumache. Gallis, Limacon de mer. Brabantis, Zee fleck. Germanis, Meer oder seesnecke. Est etiam & Cochlea terrestris, & inter has alia Opercularis dicitur. Gall. Limacon de vigne. Brabant. wyngaert flecke. Germanis, Ruben snecke. Alia est Cochlea nuda. Est etiam Concha Veneris, Murex Mutiano. Deniq; est margaritifera cochlea. Brabantis, peerl moeder. Caro cochlearum siccat valentißime admota ventri hydropicorum.

CISTVS.

Flaccida restaurat, firmat quoq; corpora Cistus,
Vlcera persanat, menstrua laxa premit.
Nil magis effrenem potis est astringere ventrem,
Seminis aut fœdi flumina larga tui.

Cistus, κίστος, nascitur cistus in multis Thusciæ locis, & alijs asperrimis, & maximè saxosis locis. Quia verò Theriacam ingreditur, & rarus est, vti possumus illius loco Acacia siue succo prunorum syluestrium, quæ simpliciter Germanis vocantur Schlehen. Poteria vulgò.

quorum arbor quædam Spinus Virgilio dicitur. Aſtringit Ciſtus vti omnia pruna ſylueſtria.

CAPPARIS.

Fructibus aſtrictos aperis, fartosq́ lienes,
Et caput expurgas, menſtrua cæca cies.
Digerit, incidit, ſtomachoq́ perutilis eſca eſt,
Et pulchra radix vlcera carne replet.

Capparis, κάππαρις. Italis, Cappari. Gallis, capers. Aculeatus frutex eſt, qui in terra ſtratus, magis in orbem vagatur, ſpinas vt Rubus habet in hami modum aduncas. Folia Mali cotoneæ rotunda: fructus eloti fiunt corpori cibus & medicina, habentes qualitatem amaram, acrem, acerbam: vnde aſtringunt & roborant, aperiunt & abſtergunt.

CHRYSOCOLLA.

Creſcentem quouis conſumit in vlcere carnem,
At vomitu ſemper concitat eſa necem.
Vlceribus tantùm grata eſt medicina malignis,
Acri quæ morſu ſic violenter edunt.

Chryſocolla, χρυσόκολλα. Auri gluten aliàs, & terra viridis nonnullis. Ital. Chryſocolla. Gal. col a or, ou, ſoldure dor. Brab. berchgroē. Germanis, Scheifgrun. Eſt & natiua & factitia. Illa vtuntur aurifices, & Boracem nominant, auri ſaniem Plinius. Brab. boras. Humor eſt

in

in puteis metallorum defluens, pro quorum varietate variat colorem. Nam viridis in ærarijs metallis foditur, nigricans in plumbeis, pallefcens in aureis. Fit & arte ex alumine, fale, nitro, & alijs, quinimò & ex vrina pueri.

CONYZA.

Si tibi fubſternes folium, tormenta fugabis,
Quæ folet, aut cimex, nocte referre culex.
Illine vulneribus lumbisq; rigentibus herbam,
Decocto vrinam, menſtrua tarda voca.
Inde etiam morbum poteris curare caducum,
Et qui de flauo corpore nomen habet.

Conyza, κόνυζα, Pulicaria aliàs. Officinis incognita eſt, vtrique folia Oliuæ, hirfuta, pinguia, flos fragilis, lutei aut fului coloris, qui in pappum abit. Germanis vocatur Dürrwurtz, æmulatur Enulam in folijs, caulibus & floribus. Eſt maior, eſt & minor, quæ in humidis pratis, & ad fepes prouenit: calefacit & ficcat.

CVSCVTA.

Aſtringit, tergit iecur obſtructumq; relaxat,
Virtutemq; ſuæ, planta parentis habet.
Tollit & hydropem, tum phlegmone viſcera foluit,
Quæ nimio dudum ſanguine preſſa iacent.

Cufcuta. λινοδέρη, Caſſuta aliàs. Italis, Cufcuta. Gall. Gonte de lin. Braban, fcroft. Germ. Goutte de lin

Filtzkraut. Sunt enim qui eam confundant cum Androſace. Eſt autem Androſaces nihil aliud quàm implicatum & inuolutum reticulum multis capillamentis mirè perplexum. In fine Iunij rotundos profert acinos ſemine perexiguo refertos, planta eſt amara, radice prælonga. Quæ Vrticis adnaſcitur omnibus præponitur. Cæterùm Cuſcuta ſine folijs eſt, & ſine radice, quæ duplex eſt: candida pratis familiaris, & rufa, quæ vertices quoque plantarum petit, ſepesq́; crebris voluminibus conuoluit non ſecus atque lupulus. Vtraque pro Epithymo vſurpari vtiliter poſſet, præſertim ea quæ Vrticis adurentibus adnaſcitur: calet primo, ſiccat ſecundo. Qui morbum Gallicum curare volunt, ij aqua Cuſcutæ feliciter vtentur: inſignem enim obtinet expultricem facultatem, & ſanguinem purgat, venaſque à prauis humiditatibus: vnde Tertianæ febres maximè in pueris.

CADMIA.

Aſtringit, cruſtas inducit & vlcera ſanat,
Abſterget ſordes, & cicatrice tegit.
Illinc cùm lachrymis oculus ſuffunditur ortis,
In cauſa capitis quando catharrus erit.

Cadmia, καδμια, Officinæ Climiam & Cathimiam vocant, & lapidem Calaminarem. Plinio Lapis aeroſus dicitur, non multũ à Pyrite

rite lapide diuersus. Forsitan eadẽ est cum vulgari Tutia è Botrytis genere, cuius vim habet pompholix & spodium, eorumq́; locum obtinens, ebur vstum.

CAPRIFOLIVM.

Semina consumunt multis concessa lienem
Mensibus, at minges sanguinolenta, caue.
Vtilis ad febris quatientis membra rigorem,
Succus, & ex longa corpora lassa via.
Humida desiccat simul oris & vlcera purgat,
Et fœdam maculis, nocte perunge cutem.
Asthmaq́; compescit, prauos de corpore succos
Per renes sumptus, sed violenter agit.

Caprifolium, περικλύμενον. Italis, Caprifoglio. Gallis, Cheure foelle. Brabantis, gheiten blat. Germanis, Waldgilgen. Vulgò Lilium inter spinas & Matersylua, cauendus eius vsus puerperis. In syluis ac fruticetis hoc scansile Periclyminum reperitur. Florem fert odoratum, candidum ac multiplicem, florem Consolidæ regiæ referentem, qui tandem in baccas rubras seu racemos Aro similes odore præstantes abeunt, parua habet folia ex interuallis, subcandida, hederacea, inter folia surculi. Flores hodie in medicina maioris sunt vsus, tum maximè eius aqua stillatitia; nam ter in die data suspiriosis, tussientibus prodest, & internos æstus refrigerat.

DRACVNCVLVS.

Nocturnas radix sanat, tussesq; diurnas,
Vlcera, quæ fuerint concaua, carne replet.
Illinc sic mundas oculos albugine cæcos,
Et nasi polypum conficis inde tui.
Proq; cibo fuerit cùm terq; quaterq; recocta
Sumitur, vt toto corpore phlegma fluat.

Dracunculus, δρακόντιον, Serpentaria maior officinis & Colubrina. Ital. Dragoncello. Gallis, Sarpentine. Brabant. speerwortel. Germanis, Schlangenkraut. Folio constat hederaceo, magno, lato instar Lapatij vulgaris, maculis resperso purpureis, fructu cùm aliquantum maturuit croceo, radice aliquantulum rotunda, bulbosa Aro non absimili. Luf quoque vocatur Barbaris. Calefacit vehementer, & Ari facultates habet.

DAVCVS.

Incitat ad Venerem radix præmansa proteruam,
Semina sed tußim, dira venena necant.
Vrinam celeri cogent descendere cursu,
Incurui flatus discutientq; coli.

Daucus, δαῦκος. Italis, Carote, Gall. Carottes sauuage. Braban. croonkens cruyt. Germanis, Vogelnest aut Bermutter. Daucus Creticus folia habet, fœniculo adeò similia, vt non nisi à peritissimis discerni possit. Caulis illi rotundus, geniculatus, vmbella coriandri, flo-

sculis

ſculis candidis ornata. Radix longa eſt & recta, digitum craſſa, capillata, acris denique & feruens. Eſt alia Dauci ſpecies, quæ foris nigriorem habet radicem, hiſpidis & prolixis capillis obductam, feruentiorem & acriorem guſtu. Folia illi Petroſelini vel Apij. Tertium genus folijs eſt coriandri, flore & ſemine Anethi. Sunt qui has omnes Dauci ſpecies ſub Pimpinellæ nomine comprehendant: radix & ſemen diuretica ſunt.

DIGITALIS.

Abſterget, purgat, potataq; menſtrua fundit,
Et ſuppuratos exonerare poteſt.
Hoc tibi vulneribus ſemper medicamen habeto,
Aut bibe quò moles inde lienis eat.

Digitalis, λύχνις θρυάλλις, Campanula ſylueſtris. Gall. herbe aux cloches. German. Finger kraut. Folia habet Verbaſco ſimilia, ſed anguſtiora, teretem emittit caulem, à cuius lateribus ordine dependent flores campanulam referentes; eosque in nonnullis luteos, in alijs purpureos, calefacit.

DVLCIS RADIX.

Conuenit ardenti ſtomacho, febrisq; calori,
Guttur, veſicas, aſperitate leuans.
Decocto renum dolor, & cum phlegmate tuſſis
Tollitur, & vehemens ſemper in ore ſitis.

Dulcis radix, γλυκύρριζα, glycyrrhiza. Scy-

thica radix: Barbaris & officinis Liquiritia. Ital. Ligoritia. Gall. reglisse. Brabant. soethaut. Germanis, Süsholtz: fruticosa est, ramis binûm cubitorũ altitudine assurgens, folijs Lentisci, densis, pinguibus, tactuq; gummosis. Radix Buxei est coloris, longa, subacerba & dulcis, cuius succus densatur Licij more, prodestque in ore retentus ad magnam sitim sedandam, ad asperitatem arteriæ, ad tussim, deniq; ad omnem inflammationem internam mitigandam tutius datur quàm saccharum, temperata est.

DOLICHVS.

Partibus hinc tibi sit cataplasma dolentibus extra,
Aut cùm sub gelido phlegmate crura tument.
Prouocat vrinam, nutrit, at imagine falsa
Hac turbat somnos cœna parata tuos.

Dolichus, φασίολ☉-. Ital. Fagiuolo. Gall. facioles. Brabant. roomische boonkens. Germanis, Fäselen, Welsche bonen. Per omnia respondet hortensi piso, differt in geniculis, qui inter folia & ramulos visuntur: nam in Phasiolis planè purpurei aut punicei apparent, quòd in nullo Pisorum genere deprehendas. His adde quod & flores Phasiolorum non albi sunt, vt in Pisis, sed in anteriori parte rosei coloris, in posteriore purpuræ saturatæ. Fabæ, Phasioli, Cicer Arietinũ, Legumina sunt passim in Rheni tractu vsitatissima tempore quadrage-

dragesimę: inflant tamen,& ægrè coquuntur. Calidæ & humidæ temperaturæ.

DENS LEONIS.

Quando rigent gelido perfusi rore lacerti,
Et liuet à tremulo cum tibi dente gena.
Indeq; concepta calor vrit viscera febre,
Adq; necem taciti phlegmonis ira rapit.
Succus ab hac pressa flammas moderabitur herba,
Sic viuent numeris interiora suis.

Dens Leonis, ἱεράκιον τὸ μέγα. Hieracium maius quibusdam, alijs Lagopus. Vulgò Caput monachi. Intybi syluestris est species. Folia habet in circuli figuram humi sparsa, vtrinque serrata vti cichorea, pinguia, mollia, incisuræ foliorum dentibus serræ alicuius similes apparent, venæ colore sunt roseo, & leniter rubicante in læua parte foliorum quà radicem spectant, è medio plantæ longi ac concaui scapi emergunt, in quorum summitatibus viridia & radiata capitula oliuis similia prosiliunt, quæ aperta, in flores luteos desinunt, Solis figuram repræsentãtes. Est etiam & minus Hieracium huic simile, nisi quod magis est exiguum & nigricantius. Dens leonis, distillatione aquam reddit, qua in apostematibus ac ardentibus febribus nihil commodius aut salubrius inuenies: hoc enim remedio tussis aufertur, inflammatio cessat & sitis, somnus accersitur.

DAPHNOIDES.

Phlegma per infernum ventrem deducere norunt,
Et vomitu frondes corpora plena leuant.
Menstrua præcipitant, gelidam succusq; cerebrum
Per nares tractus fundere cogit aquam.

Daphnoides, Δαφνοειδὲς πέπλιον. Officinis Laureola. Ital. Laureola, Gallis, Laureole. Brabantis, kellers halſs. Germ. Ʒiland. Folia habet Lauro ſimilia, florem purpureum, interdum candidum, ramos flexiles ſurſum verſus folioſos, baccam (vbi ematuruit) nigram. Errant officinæ quæ folijs daphnoidis pro Mezereon (Barbarorum Alypo) Græcorum Chamelæa, aut eius fructu pro Cocco gnidio, qui eſt fructus Thimeleæ, Arabum Chermes, vtuntur. Licet omnia ſint eiuſdem facultatis purgatoriæ, non citra noxam, niſi affuſo aceto corrigantur (vt norunt Myropolæ) Eſt etiam laureolæ haud abſimilis Chamædaphne, quam Dioſcorides deſcribit, niſi quòd hæc ſingulari ramulo conſtet, cui folia per ambitum inſident, & in Cyma rotundam vmbellam efficiunt, quæ ſemen laureolæ ſimile depromat.

DICTAMNVS.

Pectora dilatat compreſſa, venena repellit,
Et ventris vermes herba reſumpta necat,
Infixumq; trahit, læſo de pectore telum,
Atq; vteri fœtus quos periiſſe doles.

Dicta-

Dictamnus, δίκταμνος, Pulegium Martis & hortense gingiber officin . Italis, Puleggio. Gallis, diptan. Brabantis, Wilder poley. Porrò vera Dictamnus & Cretensis pulegio similis est, folia habens crassa, rotunda, & tomentosa, vtrinque candida, ac spissa lanugine obducta, eaque vsque ad summum omnia bina, semine & flore caret, odor illi suauis, sapor amarus. Altera illa quæ pro Dictamno venditatur, licet longè ab hac differat: herba tamen est elegantissima, quæ in caulem assurgit teretem, hirsutum, folijs expansis vti in fraxino, breuiter, in fruticem euadit Glycyrrhizæ similem, folia folijs Mali Cidoniæ similia, flos emicat partim candido, partim purpureo colore, vt in Malua agresti, odorem spirat gratissimum, vt Cinnamomum odorari te diceres. Radix quæ passim pro Dictamno venditur, veræ Pæoniæ est radix.

EBENVS.

Decoctum potis est oculis albugine cæcis,
Pristina cernendi reddere dona tuis.
Hoc bibe quò lepram, scabiem, fugiasq; podagram,
Illiciti tandem munera fœda thori.

Ebenus, ἔβενος. Nota est arbor ijs, qui pectines conficiunt. Quidam lignum Guaiacum siue sanctum vulgò dictum, Ebeni familiæ esse

putant, cuius penè vires omnes habet. Interim nullo experimento adhuc constat, quòd adeò singulare sit (vt Guaiacum) morbi Neapolitani, lepræ, scabiei, Scorbuti, & eiusmodi malorum remedium, idq; occulta quadam vi potius quàm manifesta qualitate: à materia enim calida ij morbi sunt, & hæc ambo calefaciunt vltra secundum gradum, & astringunt.

ECHINVS.

Vlcera perpurgat combusti puluis Echini,
Quæq; solet carnem luxuriare, premit,
Cum pice labentes mistus firmare capillos
Nouit, & epotus pellere ventris aquam,
Pallentes rubeo pingitq; colore cachectos,
Et vitium fœdæ tollitur inde cutis.

Echinus, ἐχῖνος. Gallis, Herisson. Brabant, Een egel, yseren vercken, huius generis est histrix, spinis in modum erinacei seu echini horrens. Gall. Porc espic. Animal ex Africa, hodie satis notum.

EPITHYMVM.

Exustam bilem ducit, morbumq; caducum
Sanat, & ad tremulum cor, tibi sume, valet.
Sic & quartanas soluet decoctio febres,
Quas duri vitio fortè lienis habes.

Epithymum, ἐπίθυμον. Gal. teigne de Thin. Quod hodie Officinæ ostendunt, non est forsitan

ſitan inuolucrum Thymi, ſed Thymbræ, calefaciens & ſiccans ordine tertio. Nocet bilioſis, ſed corrigitur eius malitia, additis Myrabolanis Indis.

EVPATORIVM ADVLT.

Vlcera perſanat, tum menſtrua prouocat herba,
Vrinæ ſtimulos addit & eſa tuæ.
Pectoris & miro reijcit conamine phlegma,
Et data mortiferæ pocula cuncta feræ.

Eupatorium adulterinum ſiue aquaticum, Ital. Eupatorium. Gall. eupatoire baſtard. Brabant. coninghen cruyt. Duplex eſt, mas & fœmina. Forma quidem ſimilis Hidropiperi, ſed acris non eſt, & in fluminum ripis, locisq; humidis luxuriat.

ERYSIMVM.

Subuenit occultis cancris, coxæq; dolori,
Mollit duritiem, ſæua venena premit.
Educitq; alto fluitans pus pectore linctum,
Et tumidi flammas illitione loci.

Eryſimum, ἐρύσιμον. Irio aliàs. Italis, Eryſimo. Gallis, De la tortelle. Brabantis, edel rockette. Germ. Hederich. Sinapi ſylueſtre quibuſdam & rapiſtrum. Theophraſtus vnum enumerat frumentacei generis. Iſtud in acrium numero eſt, erucæ folijs, floribus luteis è quibus cornicula acuminata. Naſcitur prope mu-

ros vrbium, rudera & in hortis.

ECHIVM.

Sumitur ex vino vt serpentum morsibus obstet,
Ad calidum renum commoda planta malum.
Quod si candidulo siccatas lacte mamillas
Impleri cupies, sit cibus inde tibi.

Echium, ἔχιον, Buglossa syluestris quibusdam, nec immeritò. Alijs Viperina. Gallis, herbe aux vipers. Braban. wilde buglos. German. Waldt ochsenzung. Folia habet prælonga, hirsuta, Buglossæ aut Anchusæ similia, subrubra, pinguia, spinulis horridula, cauliculos exiles, flores in rubeum purpurascentes semina capiti viperarum similia, frequens est in vijs.

ERYNGIVM.

Succurrit longo radix præsumpta veterno,
Et longis renum subuenit ipsa malis.
Discutit & flatus, iecorisq; incommoda tollit,
Infringitq; nihil toxica sumpta magis.
Si cor siccatis ruit ægritudine membris,
Hæc poterit vires restituisse nouas.

Eryngium, ἠρύγγιον, Officinis Iringus marinus aut centumcapita. Italis, Eringio. Gallis, Panicault ou chardon testu. Brabantis, meer wortel, cruys distel. German. Brackendistel. Hæc in tractu Rheni in nonnullis agris, potissimum verò secus itinera & limites agrorum prouenit, folio crispo, dissecto, perque ambi-

tum

tum ſpinis acutis aſpero, in tenera ætate viridi quidem, ſed vbi ad perfectionem venerit, ex albicante pallido admixto, cœſio colore, complures illi ramulorum ſtriȩ rubent, in quorum ſummitatibus globoſa capitula durarum ambitu ſpinarum ſtellatim circumuallantur, quorum colos aliàs viridis, aliàs albus, & interdum cœruleus inuenitur. Radix illi oblonga, lata, foris nigra, intus candida, fortis tum ſaporis tum odoris. Inuenitur & aliud Eryngium, ſed tota ſubſtantia diuerſum ab iſta, ex aculeatarum quidem genere, ſtellata & ipſa, folijs tamen auguſtioribus, & magis nigris, aculeis & ſpinis longioribus, Secacul Arabum quidam eſſe putant, ſed falsò, cùm Secacul ignotum ſit.

ESVLA.

Subducit bilem & craſſam ſuccus pituitam,
Fortiter & flatus diſcutere ipſe poteſt.
Vtile ſit nectar pueris hinc, phlegmate preßis
Pro delicatis hoc medicamen habe.

Eſula, πέπλος. Italis, Eſula, Gallis, reueille matin de vignes. Brabant, duyuels melck. Eſula ex Tithymalorum eſt genere, & multiplex eſt. Notiſsima eſt vulgaris, quæ paſsim in hortis & vinetis luxuriat, vno & concauo caule contenta, qui in faſtigio vmbellis quaternis aut ternis emicat. Folia quæ terna ſingulos geniculos circundant, Portulacæ herbam

repræſentant. Flos vbi floret diluti viroris eſt. Eſt alia huic ſimilis Eſula, cui flos luteus eſt admixta purpura. Præter has eſulæ ſpecies reperitur in agris, tempore Autumnali, frutex dodrantalis, ſurculoſus minutiſsimis folijs Thymo ſimilimis veſtitus. Poſtrema, quæ eſula dulcis eſt in vmbroſis montibus prouenit, caule, flore, folijs, & lacteo ſucco Tithymalis, & Lathyri adeò propinqua, vt ab illis vix diſcerni poſsit, at ſuccus ipſius lactei ſucci, & radicis, dulcis eſt, cuius exterior cortex aceto per diem & noctem macerata: deinde exſiccata, & in puluerem redacta, poſtea dimidię drachmæ pondere in vino vel melicrato pota, quoſuis aquoſos humores & choleram expellit, & hydropicis apprimè conducit. At optima catapotia in hanc rem fiunt ex eſula, cui Linariæ ſunt folia. Hoc modo, recipe radicis eiuſdem præparatæ, & puluerizatæ vnciam dimidiā, aloes vnciam, maſtices drachmam cum aqua fœniculi, redigantur in maſſam. Sunt qui affirment Eſulam minorem officinarum eſſe Tithymalum, qui à Dioſcoride Cyparaſsias dicitur. Eſula verò maior Pythiuſa eſt Dioſcoridis, qua nonnulli hodie vtuntur pro Turbith, non infelici ſucceſſu, & à Meſue Sebrā vel Alſebram dicitur.

EVPHRASIA.

Vitibus inciſis ſtillantem excerpe liquorem.
Hacq; oculos mixta ſæpe ſouebis aqua.

Namq;

Namq; iuuat viſum obſcurum, ſed frigida quando
Pars capitis memorem te vetat eſſe, bibas.

Euphraſia, εὐφροσύνη, quibuſdam. Italis, Euphraſia. Gallis, Euphrage, Brabantis, Ooghen troſt. Multa ſunt huius genera, præſtantiſsima in pratis prouenit, ſurculoſa, dodrantalis arbuſculæ haud abſimilis, multis foliolis & adnaſcentijs exiguis nigricantibus, & per ambitum ſerratis veſtita, flore luteo. Oſtentant alij & aliam quæ nihil aliud eſt, niſi gramen nodoſum æquali interuallo geniculis à ſe mutuò diſtantibus diſtinctum. Radice tenuiſsima vti filum. Alia eſt quoque Euphraſia flore cœruleo.

ENVLA CAMPANA.

Cocta poteſt radix vrinam & ducere menſes,
Eq; tuo tuſsim pectore ſumpta grauem.
Eſtq; venenatis inimica afflatibus herba,
Semper anhelòſo grata futura ſeni.
Semper & ægroto cui frigore torpet Orexis,
Cuiq; loco dolitat coxa reuulſa ſuo.
Et cui lumbricos ventris pituita rotundos
Suſcitat, & curui tormina ſæua coli.

Enula campana, ἑλένιον, Heleniũ. Panaces Chironium quibuſdam. Ital. Enula. Gall. aulnee. Brabant. Alantwortel. Folia habet Verbaſci, aſperiora, oblonga præſertim, quæ prope terram naſcuntur. Nam quæ ſuperiora caulis oc-

cupant, anguſtiora & acutiora ſunt. Caulem habet teretem, aliquot interdum cubitos altum, flos illi magnus, radiatus, aureo colore fulgens. Radix ſubalbida eſt, interdum ſubruffa, odorata. Calefacit & ſiccat cum recrementitio quodam humore.

ELLEBORVS.

Illine radicem, ſcabiem, ſic tergito lepram,
Vlcera ſic curas, ſic cicatrice teges.
At bibe decoctum, choleram, craſſam pituitam;
Et flatu infeſtam ducet hydropis aquam.
Cumq́; ſubobſcuro capitis compreſſa vapore,
Immemor errabit mens generoſa ſui.
Huius ab epoto fiet medicamine, quò ſe
Noſcat, & inſano læta furore leuet.
Hinc quoq; fit peſſus, qui menſtrua ſubditus vrget,
At ſimul in nares, phlegmata lenta trahit.
Auris & incluſus ſurdaſtræ incommoda tollit
Succus, & ad dentis tormina dira valet.

Elleborus, ἐλλέβορος, Veratrum aliàs. Ital. Elleboro. Gallis, viraire. Brab. meſcruyt. Germanis, Chriſtwurtz. Verus elleborus niger, nonnunquã binos palmos excedit, radicem habet capillatam, radiculis multis perplexã, nigram. Cauliculi illius ab imo ad ſummum tenerrimis ſerratisq́; foliolis ornantur veluti Abrotanum exiguum, ſed viridioribus: in cacumine lutei & ſimplices apparent floſculi, Chamomillam penè referentes. Eſt etiam Elleborus

alius

alius niger, ſed adulterinus, tutior tamen ad purgationes. Folijs veſtitur diſſectis, & Pæoniæ propè ſimilibus, ſed minoribus, & magis nigricantibus, & ſerratis per ambitum. Radix amara eſt, quæ in vino macerata, ſubducit aluum ſine moleſtia. Albus elleborus folia habet Gentianæ, ſed latiora, quorum coſtæ leniter purpuraſcũt, radix teres eſt, digitum craſſa, foris pulla & fibrata, intus fũgoſa & candida, guſtu feruens. Ellebori radix per xxiiij. horas vino aut oximelite macerata, poſtea reſiccata prodeſt, ſcrupuli j. & ſemis pondere exhibita, melancholicis, furioſis. Sed tutius & ſine periculo exhibebis vinum, in quo albus Elleborus maceratus ſit. Idem fac de Elleboro nigro, vt tantam purgationem moliaris. Qui ſentit ſe grauari Elleboro ſumpto, mox lac ebibat: aliàs optimè purgat Elleborus niger inſanos, melancholicos, comitiali morbo preſſos, podagricos, vertiginoſos, hydropicos, leproſos, conuulſos, quartanarios, &c.

EBVLVS.

Decoctum terget ſcabiem, quod ſumito ſi vis
Torrida purgetur bilis, hydropis aqua.
Siue fugis coxæ morbos, nocumenta podagræ,
Seu iecoris frigus, ſiue lienis onus,
Fœdaq; ſeu Veneris reijcis contagia tacta,
Seu nocua exhorres tetra venena feræ.

Ebulus, χαμαιάκτη, humilis Sambucus. Barbaris Catengit. Ital. Ebulo. Gall. Hieble. Brab.

wilden vlier. Germanis, Attich. Ebulus nihil aliud est quàm breuis Sambucus. Hic siquidem arborescit: Ebulus verò propius herbaceo generi accedit, radicem habet, quæ intra terrã serpit, digitalis crassitudinis, è qua (mense Maio) teneros emittit asparagos, qui tandem in rotundos abeunt caules, medulla refertos. Folia illi grauis odoris grandia & nigricantia Sambuco simillima. Vmbella illi ex cãdido purpurascens emicat odoratior, quàm sit Sambuci. Priuatim, radices Ebuli valent ad purgandam hydropem, teneri quoque eius asparagi siue illius teneri caules in vino cocti & poti, frigidæ tussi prosunt, vitia pectoris purgant, & humores incidunt, idem potest aqua stillatitia. Easdem ferè vires habet sambucus satis notus & Gallis, Suz ou suin dictus. Germanis, Holder. Exiccat, glutinat, & modicè digerit. Aqua sambuci è medio illius cortice distillata, aluum emollit, idem faciunt Turiones illius teneri.

EVPHORBIVM.

Vrit, & è summo pituitam corpore ducit,
Quò tremulum firmas igne potente caput.
Asthmate vel longo pressos reuocatq; veterno,
Illine quò coxæ sic cruciatus eat.
Quò consopitos gelido sub frigore neruos,
Ad solitum facias surgere mentis opus.

Euphor-

Euphorbium, εὐφόρβιον. Arbor eſt Lybica, quæ acerrimo ſucco turget, calefaciens & ſiccans ordine quarto. Violens eſt medicamentum intrò aſſumptum. Corrigi proinde debet eius malitia: id fiet ſi euphorbij, maſticis & tragacanthi æquas portiones in panem non coctum, eumq; in fornacem ad coquendum inijcias, inde extractum euphorbium, medicamen exiſtet vtile purgandis humoribus ex alto corporis, refrigeratis & peſte laborantibus, vt volunt nonnulli.

ERVVM.

Eruum cum melle elinctum tua viſcera purgat,
Elicitur venis ſed tamen inde cruor,
Emundat faciem, mammas emollit, & atra
Vlcera floridulo margine pulchra facit.
Tum tabi toſtum eſt alimonia grata, fouendo
Pruritum toto corpore ſanat aqua.

Eruum, ὄροβος. Orobum officinis. Italis, Aruo. Gallis, Ers. German. Wicken. Si viciam (legumen) Orobum eſſe ſtatuimus (quanquam iſtud præſtans ex Alexandria adferatur) tunc Orobi multæ ſunt ſpecies: equis tamen & columbis aptius alimentum quàm hominibus. Naſcitur Vicia in dumetis admodum procera, & Aphace eſt Dioſcoridis, Latinis Os mundi, Ger. S. Criſtoffels kraut. Forma Meliloti pinnatis folijs. Reperitur & candidum Eruum piſo haud diſsimile, minus tamẽ, coloris pallidi, nec teres planè ſed compreſſum, Germani vo-

cant Weiſs wicken. Eruum incidit, aperit & abſtergit, calidum mediocriter & ſiccum.

FICVS.

Eſt matura tuo ficus ſatis apta palato,
Soluitur hoc ventris dura ſaburra cibo.
Siccarum natura calens humore remoto,
Præ viridis maius munere munus habet.
Incidit, tum phlegma tuo de pectore fundit,
Pulmonumq́; malis auxilio eſſe ſolet.
Cum ruta & nucibus obſiſtit ſumpta veneno,
Abſceßus mollit, phlegmona cuncta coquit.
Vlcera coſtarum quæ vel cachectica dicas,
Sanat pruritum qui tua membra quatit.
Attamen è craſſo generat quem ſanguine, lendes
In calido reparat (monſtra moleſta) thoro.

Ficus. Ital. Fico, Gall. figue. Braban. vyghe. Ger. Feigh, fructus hic priuſquam maturuit, Groſſus vocatur, at vbi aruit, carica aut paſſa ficus. Fici ſiccę excalefaciũt, vires alunt, ijs quos lõga valetudo decolorauit aptiſsimę. Fici cum fermento tritæ admixto ſale, peſtem, aliaq́; vlcera emolliunt, ac intra paucos dies abſceſſus rumpunt, eædem mixtę cum atramento ſutorio ſiue Coperoſa, deploratis tibiarum fluxionibus & cachecticis vlceribus medentur.

FEX VINI.

Vrit & abſtergit, conſtringit, ſiccat & exeſt,
Et ventrem admiſta maſtice ſumpta mouet.

Huic

Hinc oleum liquido cum ſulphure, cuncta potenter
Vlcera deterſis ſordibus atra domat.

Fex vini, τρύξ, ζφέκλη, nota res eſt, Tartarum vocant officinæ. Reſina eſt quæ vaſis vinarijs intus agglutinatur, ad ſoluẽdam aluum vtilis, idq́; potentius faciet, ſi cum ſenæ Alexandrinæ decocto propinetur.

FOENICVLVM.

Herba valet renum, ſtomachi, iecorisq́; dolori,
Infringit febris circuitusq́; tuæ.
Sumitur ad gelidi decoctio damna veneni,
Ad menſes tardos, ad croceamq́; cutem.
Obſiſtit maculis oculos vitiantibus, vnde
Illius ex ſucco ſæpe rigare tuos.

Fœniculum, μάραθρον. Ital. Finocchio. Gall. fœnoil. Braban. venckel, notum eſt & duplex, vulgare & erraticum, quod Hippomarathrum vocant, vtrumq; calidum & ſiccum, hoc primo, illud tertio.

FILIX.

Valde aperit radix, iecorisq́; viasq́; lienis,
Sed reddit ſteriles in muliere locos.
Vulnus arundineæ ſanabitur inde ſagittæ,
Tum ventris vermes inde ſaburra fluent.

Filix, πτέρις. Italis, Felce. Gallis, fuſchiere. Brabantis, varen. German. Farnkraut. Quanquam filicis multa ſunt genera, vſitatiſsima ta

men ea eſt, quæ in arenoſis agris prouenit, vnico, purpureo, rotundo & leui caule; quem multifida, lateribusque pinnata & viridia folia veſtiunt. Radix huic longa, læuis, foris nigricans, hæc mas appellatur, quanquam ſit & alia filix mas paucis cognita. Eſt & filix fœmina paſsim in vmbroſis, vliginoſis & arenoſis vallibus, & quæ feliciſsimè in ſyluis prouenit. filici ſimilis eſt, Oſmunda vulgò dicta ſeu filix aquatica, caule triangulo, cuius radix vtilis eſt ad vlcera, rupturá, contuſiones & diſlocationes, aſtringens, calefaciens & ſiccans vti filix. Dryopteris quoq; filici haud eſt abſimilis, in annoſarum quercuum muſco naſcẽs, quæ tuſa cum radice pro pſilotro eſt.

FRAGARIA.

Frigida ſunt frondes, & humi naſcentia fraga
Sumito, fœcundo membra liquore rigant.
Sic minus illa ſuo febris feruore deuret,
Sic iecori minus eſt bilis aduſta nocens.

Fragaria, βίφιλλον. Italis, Fragole, Gallis. fraiſier. German. Erdbeer kraut, fructus fraga vocantur, inter quæ reperiuntur prorſus candida, herba ipſa nota eſt, nec eget delineatione. Herba & radix calidæ & ſiccæ ſunt temperaturæ, folia recentia, & fructus frigidiora ſunt & humidiora: vnde aqua è fragis diſtillata, præſtanti eſt remedio internis inflammationibus quibuſuis iecoris & pulmonis ſitimq; re

ſtrin-

ſtringit. Hinc etiã eſt quòd leproſi, quibus & ſanguis calet, & facies nimiũ rubet, aqua hac, vitá diu tueri poſſunt, ſi quotidie de ea ſumant.

FILIPENDVLA.

Vtilis ad partus morulas, morbiq; caduci,
Ad flatus, ſtomachi vel nocumenta tui.
Prolicit vrinam, ſubducit & inde lapillos,
Et veterem tuſsim, pectore phlegma trahit.

Filipendula, οἰνάνθη. Ital. Filipendola. Gal. filipendule. Germ. à colore radicis Rotenſteinbrech. Officinæ Saxifragiam rubeam, & ſyluestre millefoliũ vocant: gignitur in altis & lapidoſis montibus ac rupibus. Folia eius ad formá Pimpinellæ Italicæ accedunt. Caulem habet teretem, cubitalem, florem fert candidum. Radicem obtinet toroſam, vt quæ in filamenta extenuetur.

FVMARIA.

Exacuit viſum ſuccus, bilemq; repurgat,
Roborat & ventrem, viſcera cuncta ſimul.
Vtilis ad lepram, conſtipatosq; meatus,
Ad ſcabræ vitium ſumitur herba cutis.

Fumaria, καπνὸς. Italis, Fumoterre. Gallis, fumeterre. Brabantis, gryſecom. Germanis, Erdrauch, daubenkropff. Herbula fruticoſa eſt, cui folia diſſecta, vt in Meláthio, candida & cineracea, mollia: floré gerit purpureum. Temperamento calido & ſicco prędita eſt, diſcutit, extenuat, aperit & purgat ſanguinem: vnde ijs

commodè exhibetur, qui Neapolitano morbo laborant: vnguentũ quoq; factum ex eius succo & lapatij cum melle, omnẽ scabiem curat.

FLOS ÆRIS.

Astringit, tenuat, lachrymas ciet, vlcera sanat,
Expugnat callos, duritiemq; loci.
Exiccat sordes auris, sed naribus intus,
Quando supercreuit, inde premenda caro.

Flos æris, ἄνθος χάλκου, Officinæ eius vice vtuntur ærugine, quæ Barbaris Prasium viride, aut viride æris dicitur, Gallis, verdet. Brab. spaensche groen. Germ. Kupff rost. Hoc subtilioris est substantiæ, quam aut æs vstum aut squama æris.

FABA.

Paulatim lentos educit pectore succos,
Sed tamen est flatu nocte molesta suo.
Exterius siccat turgentes sanguine mammas,
Inde oculi premitur flamma tumorq; tui.

Faba, κύαμος. Ital. Faua. Gal. febue. Brab. Bone, nota est faba. Quòd aũt veterum faba cum nostrate non respondeat, ex eo collige, quòd Galen. fabam Ægyptiam dimidium obolum ęquare scribit. Nouem aũt oboli drachmam faciũt Galene, quare viginti aut circiter fabę veterum constituunt drachmam, at tres fabæ nostrates ad summum id præstant. Quare nõ immeritò doctissimus Dodoneus Phaselum asserit,

ferit, vulgarem esse fabá. Calida est & humida ipsa faba. Chirurgi collectiones & tumores locorũ fabacea farina in aceto, & vappa decocta, oleoq; admixto, discutere solent. Faba inuersa ferulaceos caules obtinet, folia Triphylli, Germani vocant Baum bonen.

FOENVM GRÆCVM.

Phlegmona cum mulsa soluit percocta farina,
Illita fœmineis subuenietq; locis.
Emollit, terget, magnum minuitq; lienem,
Quæq; grauant, purgat vlcera fœda caput.

Fœnum Græcum, Τῆλις. Italis, Fien greco. Gal. fenegrec. Germ. Bockshorn. Hoc semine luteo & quadrangulo, binis statim à satione pinguiusculis folijs prouenit non aliter atq; linũ. Postea folia acuta, terna vno pediculo prorumpunt more trifoliorum: caules illi teretes, surculosi, frequentibus ijsq; ternis folijs vestiti. Florem fert candidum seu pallidum potius, semen calidum est & siccum.

FERVLA.

Optima cœliacis, tußi medicina cruentæ,
Vipereæ frangit sumpta venena feræ.
Illine, sudorem reuocabunt semina, sume,
Sic cedent curui tormina dira coli.

Ferula, νάρθηξ, Ger. Galferb blumẽ, ignota est officinis, profert caulem ternûm sæpe cubitorum, folia fœniculi longè asperiora & latiora, quà ab imo caule vulnerata Sagapenũ effluit.

Numeratur & inter ferulas à quibuſdam, ea quæ paſsim in aridis & incultis agris prouenit, cuius flore lineæ veſtes ſimul & laneæ optimè teguntur: quo nomine Tinctorius flos vocatur. Herba eſt quæ è lignoſa radice plurimas & tenuiſsimas emittit virgas, cubitales, nigricantibus folijs veſtitas, ad hyſſopi ferè formam accedentibus: florem fert in veſtigijs virgarum luteum, Geniſtæ ſimilem, ſed minorem. Quamobrem ſunt qui eam ad Spartium referunt.

FRAXINVS.

Decoctum purgat, ſoluitq́; tumore lienem,
Et ſumptum gelidi purgat hydropis aquam.
Sic quoq; vel lateris poterit lenire dolores,
Et ſcabiem fœdæ vel remouere cutis.
Sic & vipereæ ſanabis vulnera linguæ,
Cedat vt antidoto vis truculenta ſuo.

Fraxinus, μέλια. Ital. Fraxino. Gallis, fraiſne. Brabantis, Eſchenboom. Huius generis eſt fraxinus ſylueſtris, Sorbus aucuparia ſiue Ornus: cuius ſemen lingua auis dicitur, vrinam ciens, & genituram augens.

GALEOPSIS.

Diſsipat abſceſſus, ſtrumas, duroſq́; tumores
Vlcera, Gangrænas, ſordidulaſq́; nomas.

Nec

Nec melius tumidæ datur hac medicina podagræ,
Fluxibus aut melior sanguinis herba tui.

Galeopsis, γαλαίοψις, Lamium aliàs. Vrtica mortua vel iners vrtica labeo, & iuxta Ruellium Agriapalma. Gallis, Ortie morte. Brabantis, douenetel. Germanis, Dodten nessel. Folijs est & caule Vrticis similimo, non adurentibus: fœtet tamen mirum in modum attrectata. Fuchsius asserit esse Scrophulariam & millemorbiam dictam herbam: mirum tamen est quomodo bulbosæ radicis non meminerit Dioscorid. in delineatione Galeopsis, quæ in Scrophularia manifesta est.

GALLIVM.

Lac cogit, Venerem stimulas, radicibus ipsis
Exhaustis, fluxus sanguineosq; premis.
Illinc combustis, sacroq; tumentibus igne
Partibus, aut fessis inde dolore locis.

Gallium, γάλλιον. Ital. Gallio. Gall. Petit muguet. Brabant. megerkraut, walstro. German. Vnser lieben frauwen bethstro. Duo aut tria eius inueniuntur genera. Primum caulem profert tenuem, teretem, & iunceum, quem in modum rotulæ seu stellę folia circundant, florem fert in cacumine, luteum, densum, odoratum. Secundum genus luteo itidem emicat flore, caule quadrangulo. Tertium flore exultat can-

dido, priori per omnia ſimili, niſi quòd cauſe eſt quadrato. Naſcitur ſecus muros & ſepes. Huic ſimilis eſt illa, quæ vulgò Matriſylua vocatur aut Aſperula. Braban. & Germanis, quia ægrotanti hepati ſuccurrit, hepatica & Leberkraut vocatur, licet ad Aparinem referri poſſet: florem fert lacteum, numeroſum, racematim coactum, & odoratum, ſtellatis eſt folijs, & quadrangulo cauliculo.

GALLI.

Si dolet iniecto manus à ſerpente veneno,
Gallinæ id ſuget ſecta calensq; caro.
Decoctum veteris ius galli commouet aluum,
Qua pituita, ſimul bilis acerba fluit.

Galli & gallinæ nota animalia ſunt, priuatim tamen ius gallinarum aluum aſtringit, at gallorum ſoluit, quorum teſtes in cibum cocti valenter vires reparant,

GENISTA.

Epotum ſemen, pituitam corpore ducit,
Vrinæ lapidem comminuitq; tuæ.
Flores contriti ſtrumas cum melle reſoluunt,
Illine quò doleant ſplenq; pedeſq; minus.
Sed bibe de ſucco gelidum qui purgat hydropem,
Quiq; aperit iecoris arcta viasq; tui.
ui ſenibus lætam poterit reuocare iuuencam,
Et qui ſatorum flectere colla Deæ.

Geniſta,

Geniſta, Σπάρτον. Ital. Geneſtra. Gal. geneſt. Brabant. brem. Germ. pfrimmen. Duplex eſt, maior ſatis nota, & minor quæ & geniſtella dicitur, tota ſua ſubſtantia breuiori, præterea & aculeato, pungentiq; cõſtans folio ſicut oxyacantha, quam Berberim nominant. Aiunt, ad radicem Geniſtæ vetuſtioris præſertim, inueniri quandam excreſcentiá, quam rapum Geniſtæ appellant, cuius ſucco vtuntur egregio effectu ad frangendũ lapidem, & ad omnia vlcera maligna. Cæterùm tam noſtra Geniſta, quàm Hiſpanica abſtergit, calefacit, ſiccat & purgat omnes humores cocta cum melle roſato, fœniculo aut aniſo. Aqua è floribus diſtillata prodeſt calculo & hydropi.

GERANIVM.

Ad flatus primùm, tum debile corpus habeto,
Cætera vulneribus ſint medicina tuis.

Geranium, Γεράνιον, gruinalis aliàs, roſtrum ciconiæ, & acus paſtoris. Ital. Geranio. Gall. bec de grue. Brabantis, oyenars beck, kranne beck. Germanis, Storcken ſchnabel. Multa enumerantur Geranij genera. Primum eſt minus Geranium macri & ſabuloſo ſolo naſcens, candida, terete & dulci radice, longa, herba eſt exigua & multipliciter conciſa, humi ſparſa & crenis diſſecta. Violas fert Berſilici colore prǽditas, nec maiores quàm ſint floſculi Anagallidis, quæ tandem in capitula roſtellis gruinis

emicantia abeunt. Altera quo ad radicem similis est, sed folia sunt rotunda per ambitum incisa, & qua terram spectant cinerea, flos illi ex purpura cœsius. Huc pertinet etiam & herba Roberti siue Robertiana, quam Gratiam Dei appellant siue Acum muscatam. Denique & ea quæ Germanis Blutwurtz siue Sanguinaria appellatur.

GINGIDIVM.

Humentem siccas decocti munere ventrem,
Vesicæ lapidem comminuisq; tuæ.

Gingidium, γιγγίδιον, aliàs Carui de Syria, Hispanis Visuaga, herba est syluestri Pastinacæ similis, radice parua, candicante, subamara, nec est Chærefolium, vt vult Gesnerus.

GLASTVM.

Nil melius schyrros, melius nihil vlcera sanat,
Sint depascenti sorde referta licet.
Hinc sacros ignes, fluxus quoq; sanguinis arcet,
Tollit duritiem, sume, lienis aquam.

Glastum, ἰσάτις, Isatis. Italis, Guado. Gallis, Guesde. Brabant. wedt. Germanis, Waid. Guadum vulgò. Ex hac herba liquorem exprimunt, & in globos redigunt, quibus vtuntur ad inducendum colorẽ cœruleum. Satiua Isatis habet folia plantaginis instar, humi sparsa, pin-

pinguiora tantùm & nigriora: caulem duobus tandem cubitis altum. Radicem candidam, rectam: syluestris Isatis huic similis est, cui in vertice caulium flores emicant lutei, qui postea in longos latosque ac pendulos foliculos linguarum figuram referentes desinunt. Calefacit & exiccat vtraque.

GITH.

Ad capitis fronti supponitur herba dolores,
Olfactu refluens nocte catharrus abit.
Exterget lepra simul & lentigine corpus,
Liberat & dentes mansa dolore tuos.
Enecat & vermes ventris, renumq; lapillos,
Epota expellit, cuncta venena simul.
Tum quoq; pulmones facto cataplasmate siccans,
Soluit anhelosos, menstrua tarda trahit.

Gith, μελάνθιον, Officinis Nigella. Ital. Nigella & Melanthio. Gall. Poiurette. Brabant. negelbloome. Germanis, Schwartzer coriander. Diuiditur in syluestre & satiuum. Hoc cubiti altitudinem assequitur, folijs laciniatum, dissectis vti fumus terræ, sed viridioribus vestitur, floribus in fastigijs emicat rotundis, ex candido cœruleis, qui vbi deciderint in capitula quędam intercursantibus intus membranis distincta abeunt. His receptaculis semen includitur, quod maturum, admodum odoratum existit, manente herba sine odore.

Eſt & ſylueſtris nigella inter fruges proſiliens, ſed folijs ſatiuo Melanthio planè diſsimilibus. Sunt enim illa admodum acuta, & plurimum diſſecta, Anethum potius referentia, flos cœſium refert colorem. Capitula quæ in ſummitate, ternis aut quinis capitulis diſcriminãtur, in quibus ſemẽ gratiſsimi eſt odoris. Eſt etiam & tertia nigellæ ſpecies quædã, ſubſtantia ſua maior prædictis, & odore remiſsior. At verum non eſt Melanthium, quod etiam in ſegetibus prouenit, hirſuto & longo folio, flore purpureo, Githago appellatur. Græcis (forſitan) αὔθεμον. Nigella largius epota enecat.

GRAMEN.

Vulnera componit radix decocta, lapillos
Renibus expellit, tormina, ventre tuis.
Si cum radicis ſucco myrrhamq; piperq;
Inſtillas, oculis eſt medicina tuis.

Gramen, ἄγρωστις. Ital. Dente di cana. Gallis, Dent de chien. Quæcunq; naſcuntur gramina ſiue in aquis, ſiue in vliginoſis locis, ea vtrinq; gladij inſtar, acuminata gerunt folia, quatuor enumerãtur genera, quorum quod maximum eſt, folijs veſtitur acutis, longis, in medio verò ſui anguloſo neruo diſtinctis, adeoq; triangularibus, herbacei coloris. E medio teretes caules prodeunt, in quorum faſtigijs veluti pilulæ prominent, exiguis fibris florentes, quę vbi deflo-

defloruerint in aculeata capitula desinunt. Nascitur in marginibus & littoribus amnium, in humectis pratis: hoc Dioscoridis σπαργάνιον, Sparganium dici potest: frigida est & sicca hæc herba, & tenuibus quibusdam constat partibus. Notissima est Graminis species, quæ constat radice purpurea, longa, &c.

GENTIANA.

Succus anhelanti sumptus, laterumq́; dolori,
Gratior est oculis & medicina tuis.
Quasq́; parit febres obstructio tollit, & arte,
Hinc maculas vultus ducta repurgat aqua.
Vtilis vlceribus, iecori, stomachoq́;, venenis,
Sed nocua est vtero fœta puella tuo.

Gentiana, γεντιανὴ. Italis, gentian. Brabantis, gantiaen. Germanis, Bitter wurtz. Ciminalis, Chironion, aut Basilica aliàs, à Gentio Rege Illyriorum inuenta est, folijs iuxta radicem Iuglandi plantaginiúe similibus, humiq́; procũbentibus, subrubris, paululum à medio caule iuxta cacumen dissectis. Caule cauo, leui, tereti, folijs exiguis & parum serratis vestito. Radice recta, longa, terete, foris pulla, intus lutea, gustu amara. Inuenitur & alia Gentianæ species pauló minor, & flore nõ luteo (vt prior est) sed subcœruleo, radice magis amara. Sunt qui adhuc duas species enumerant, sed viribus impares, inter quas Cruciata est.

GLAVCIVM.

Aßiduos fluxus oculorum ſtringit, & vſtos
A lachrymis tepida frigiditate iuuat.

Glaucium, γλαύκιον. Memith & Memitha Arabibus. Succus eſt herbæ naſcentis in Syria, folijs corniculati papaueris. Qui nunc in vſu eſt, non eſt legitimus. Quidam eum conficiunt ex Chelidonijs, ſed malè. Conſtat exaquea ſubſtantia, vtraque frigida ſine exceſſu. Brabant. Pylſtert vocant.

GALBANVM.

Difficiles fœtus, ſuffitu menſtrua ducit,
Lethargum, tuſſes, aſthma, venena ſimul.
Sumito ſic lateris, dentiſq; doloribus obſtat,
Sic nil ſerpentum iacta venena nocent.
Illine, delapſæ matricis vincula firmat,
Vrinam pellit, vulnere tela trahit.

Galbanum Galbanum, γαλβανὴ, quibuſdam Metopium. Succus eſt naſcentis in India ferulæ, excalfaciens ordine tertio, ſiccans ſecũdo. Diligenter eſt à ſordibus repurgandum, eo in feruentem aquam demiſſo, vt ſic ſordes fluitent, & ſic per linteum tranſcolato, lignoſa & ſordes in linteo manebunt, & purum habebis Galbanum.

GINGIBER.

Vtilis ad flatus ſtomachi, cordiſq; tremores,
Atq; acidos ructus quos pituita leuat.

Expel-

Expellit tußim, gelidoq́; e pectore phlegma,
Grataq́; lasciuæ est hæc medicina Deæ.
Tardius accendat licet, est constantior ardor,
Cui vix dißimili conditione piper.

Gingiber, Ζιγγίβερι. Italis, Zenzero. Gallis, gingembre. Germanis, Imber. Herba est multis & nodosis radicibus Cyperi modo paruis, candicantibus & odoratis, folio Iridis aquaticæ aut Gladioli: calefacit ordine secundo. Zedoaria siue Zeduaria, Brabantis, seeuersaet. German. Zitwen dicta, gingiberis faciem repræsentat, quam inter Costi genera nonnulli recensent, mira quadam facultate graue virus, quod Allium suscitauit, abigens, si quis mox de ea aliquid deuoret. Eius etiam & quædam est species Zurumbet siue Doronicum, Barbaris Mamera dictum, radice rotunda, globosa, pro cuius floribus, accipe florem Balaustiorum: cor confortat vtrumq; & pesti resistit.

Gingember

GLADIOLVS.

Quæ sic supremam sedem sibi vendicat, illa
Vulneribus radix tela subacta trahit.
Excitat & Pauiæ lentos ad sacra maritos,
Altera quos reuocat pars odiosa Deæ.

Gladiolus, Ξίφιον. Italis, Gladiolo. Gallis, glaieul. Germanis, Klein blauw schwertel vocant. Etsi veteres omnes herbas quibus gladiolis simile esset folium, Gladiolos vocarint,

quales ſunt Iris, Acorus, Xiris, &c. Eſt tamen ſui generis herba, folio oblongo, mucronato, flore aqueo cum cœruleo, radice gemina, vna ſuper alteram inſidente. Meminit Plinius Gladioli cuiuſdam, qui noſter videtur Gladiolus vulgaris, ſiccat.

GRATIOLA.

Sumpta ciet ventrem crudosq; è corpore ſuccos,
Illita vulneribus vtilis herba nouis.

Gratiola ſiue Gratia Dei ignota forſitan veteribus, herba eſt, folio hyſſopi, ſed latiore, leui & pingui, cui flores inter folia ex candido leuiter purpuraſcentes. Sunt qui putent eſſe ſpeciem Centaurij minoris, ſiccat & calefacit.

GOBIVS.

Vertitur ingratum paruo certamine ſuccum,
Et facili in corpus permeat ille via.
Si quis concluſam ventris dolet eſſe ſaburram,
Hanc ſibi ſubducet ſorbitione gari.

Gobius, κώβιος. Italis, Gobio. Gal. gouion. Braban. goueken. German. Ein goet, notus eſt piſcis carne friabili & pingui, præcipuè is qui in arenoſis & ſaxoſis capitur ſcopulis atque littoribus. Liquamen quod ex piſcibus ſale maceratis fit, Garum vocatur, olim ex ſolo piſce cui nomen Garum, fieri ſolitum.

GOSSIPION.

Id Venerem ſtimulant hinc ſemina ſumpta Priapũ
Atq; auidos reddunt poſteritatis auos.

Phlegma-

Phlegmate cõstrictum pectus cum ventre relaxant,
Et tußim sedant nocte dieq́; grauem.

Gosſipion, ξύλον, Xylon, Officinis Bombax, Bombaſum aut Cotum. Ital. Bambace. Gallis, Cotton, German. Baumwull. Planta eſt, cuius fructus Auellanis ſimiles goſsipio turgent, in quo granum recõditur calidum & humidum, teſte Serapione.

GLANS VNGVENT.

Sumpta lienoſos purgat, vomituq́; laceßit,
Et colicas potis eſt perdomuiſſe cruces.
Illine, quò ſtrumis, podagræ, neruisq́; retractis,
Quò ſurdis oleum conſuluiſſe queat.

Glans vnguentaria, βάλανος μυρεψική, Arabibus Beñ. Fructus eſt in totum Piſtacijs ſimilis, fragilior tamen, cortice candido, farto admodum nucleo, craſſo & oleoſo, è quo oleum quod Ben vel Balaninum vocitant, extrahitur, nulli ſenio aut mucori ſubditum, & ab ijs qui precioſa vnguenta conficiunt expetitum. Oſtendũtur radices à Pharmacopolis Been rubentis & candidi cognomine, quas in medicinas cordiales vſurpant, ſed quarum loco vtpote non verarum præſtaret ſubſtituere radices Eryngij. Oleum nucis vnguentariæ calefacit, fructus incidit, cortex aſtringit.

GARYOPHILLATA.

Concoquit imbellis ſtomachi ſiccatq́; liquores,
Inde quoq; exurgens flatus inanis abit.

Pungentes lateris mulcet ſedatq́ dolores,
Vulnera perſanat, ſæua venena fugat.

Garyophillata, Geum Plinio, à Garyophilli odore ſic dicta eſt, quem radix ſemper emittit, aliàs Sanamunda & Benedicta dicitur. Italis, Garyophillata. Gallis, Galiot. Brabantis naghel cruyt. Germanis, Benedicten kraut. Caulis illi geniculatus, rotundus, horridus, lanuginoſus, flore comans luteo. Radix quaſi ſuccisa quoque, & quaſi præmorſa, intus verò ſubruſſa apparet. Folium habet inciſuris diſſectum, hirſutum, nigricantis viroris, quadantenus Agrimoniam æmulans: calet & ſiccat ſecundo.

GARYOPHILLVM.

Confortat ſtomachum, flatus quoq́ digerit omnes.
Et cerebro vires illius afflat odor.
Sumito, matricem poteris fulcire cadentem,
Defectus cordis ſic remouere tui.

Garyophillum, καρυοφύλλον. Italis, Garopholo. Gallis, clou de girofle. Brabantis, groffels naghel. Germanis, Någeln, fructus eſt arboris in India naſcentis lauri forma & folijs, cuius flos Antophyllum appellatur. Calefacit & ſiccat in fine ſecundi.

HEDERA.

Flos iuuat ambuſtos, ſiſtitq́ in corpore fluxus,
Et ſplenem frondes, vlcera cuncta iuuant.

Ad

Ad veteres capitis confert decoctio morbos,
Fac bene purgato corpore sæpe laues.
Bisq; die ternas si baccas sumpseris ibit
Pestis, & inde lapis, corpore fusus hydrops.

Hedera, κίσσος. Ital. Hedera. Gallis, Lierre. Notissima est tam alba quàm nigra. Brabant. clyf, & veil vocatur. German. Ephewe. Est & tertia species hederæ, quæ Græcis ἕλιξ vocatur, Latinis clauicula seu parua hedera. Maior hedera acinos nigros & rotundos profert. Altera sine fructu in syluis prouenit. Ex contrarijs composita est substantijs. Habet enim quiddam astringens, quiddam acre, quiddam aqueum. Proinde nec folia nec acini tutò intrò assumuntur.

HEMIONITIS.

Astringit, tumidum cupis exoluisse lienem?
Inde tibi succi pocula multa cape.
Sic renum lapides, vrinæ incommoda lentæ,
Sic stomachi tolles, tormina cuncta coli.

Hemionitis, ἡμιόνιτις, Splenium aliâs. Ital. Hemionite. Germ. Miltzkraut. Putant nonnulli, inter quos est doctissimus Tragus, hanc hemionitim esse Phyllitim, & vulgarem nostram linguam Ceruinam. Folium fert Dracunculo simile initio suæ germinationis, longum postea & linguæ aut lieni haud dissimile,

Lunæ corniculantis inſtar falcatum, caule viduum, niſi quòd rotunda & lanuginoſa per foliũ procedens vena vicem illius obire videtur. Singula folia parte aduerſa multis ſubluteis lineis, quæ vermiculos repræſentant, notantur. Hęc Scolopendra nullo ſemine, ſed ſponte ſua in vmbroſis & vliginoſis montibus, vallibusque necnon quibuſdam fontibus & humectis muris naſcitur, exigua inuenitur, quæ tamen in hortos tranſlata (vt fit) maior euadit. Et hæc eſt vulgaris Scolopendria. Eſt enim alia vera Scolopendra, quæ in aſperrimis montibus è ſciſſuris petrarum proſilit, non aliter atq; ruta muraria, folio haud temerè ſupra digitum longo, inciſuris vti Polypodium diuiſo, ſed breuiori & anguſtiori, supernè viridi, infernè aſpero, ſubluteo. Nam ex vnica nigra, villoſa & capillata radice, quadraginta interdum proſiliunt.

HYDROPIPER.

Semina cum folijs duros pertuſa tumores,
Diſcutiunt, piperis ſufficiuntq; vices.

Hydropiper, ὑδροπίπερι, piper aquaticum, Ital. Pepe aquatico. Gall. curage. Brab. waterpeper. Germ. Muckenkraut. Officinis Perſicaria, cuius tres ponuntur ſpecies. Prima Piperitis dici poteſt, eò quòd acrimonia ſua linguam vellicat amplius quàm piper, folio eſt Salicis vel Perſicæ mali, quorum nonnulla rubenti aſperſa

ſperſa ſunt maculæ, caulem habet nodoſum & geniculatum florem in ſpicam exilientem ex roſeo rubicante colore. Secunda ſpecies, forma ab hac nō diſsidet. tantùm in hoc differt, quòd ſapor illi ſit non acris ſed acidus. Tertia Curago Gallis dicitur, & in hortis ſpontè naſcitur.

HYACINTHVS.

Illita non ſinet in crines excreſcere mentum
Radix, vrinam ſed bene ſumpta mouet.
Aluum conſtipat, tetro nocet illa veneno,
Ictericos flaua liberat herba cute.

Hyacinthus, ὑάκινθος, Vaccinium quibuſdam. Italis, Hiacentho. Gall. oignom de chien. Brab. blawe mey bloemkens. Germ. Hundtsknoblauch, folia habet anguſta Satyrionum folijs ſimilia, è medio foliorū teres tandem & lenis aſſurgit coliculus dodrãtalis, in cacumine viridibus & exiguis globulis prominentibus emicans, florem reddit purpureum, forma lilij Conuallium. Radix bulboſa eſt: vnde etiam à Gallis Nemoralis ſeu agreſtis Cepa dicitur. Nō eſt interim hæc herba Hyacinthus ille Poetarum, qui è ſanguine Aiacis editus literis etiamnùm huius nomen refert. Nam hic vnico eſt caule, folijs ſalicis ab imo ad ſummum anguſtis & exiguis, flore lilij albi, ſed ignei, ſiue potius ferruginei coloris. Germani vocant Rot goldtgilgen. Lilij ſiue Narciſsi ſpecies eſt.

HIERACIVM.

Phlegmona compescit succus, iecorisq́ue calores,
Inq́ue oculos lachrymas sistere susus habet.
Purgat & hydropem, tußim, renumq́ue lapillos
Pellit, & è stomacho dira venena tuo.

Hieracium, ἱεράκιον. Ital. Hieracio, ol piscia letto. Gallis, Cichoree iaulne ou pisseulict. Brabant. hauicks cruyt. German. pfaffen blat. Maius est & minus: maius folia habet in circuli figuram humi sparsa, serrata vti Cichorea, tenera, pinguia & mollia, vt dens Leonis dici possit. Hieracium minus, maiori per omnia respondet, nisi quòd omnia in ista minora sint, radix illi præmorsa apparet, vt in Morsu Diaboli, cauliculi illi teneri & rubentes. Succus Hieracij refrigerat, ad vitia omnia oculorum mirè vtilis.

HERBA PARALYSIS.

Roborat infirmum decoctio sumpta cerebrum,
Et vires cordi sufficit ipsa nouas,
Inq́; venenosos factum cataplasma tumores,
Apponitur mira commoditate potens.

Herba paralysis, Britannica Plinij est forsitan. Quibusdam vocatur Primula Veris & Betonica alba. Germanis, Fasten blumen, id est, quadragesimalis flos: mirè confortat illius flos siue aqua stillatitia tum cor tum cerebrum.

Folia

Folia habet incana Betonicæ haud dissimilia, sapore subdulcia minimè crenata, præsertim illius quæ in pratis prouenit: flores illi interdum duodeni pediculo vnico insidentes, lutei, & ad formam Cymbali rotundi. Sub Aprilem mensem, folia candicantia eriguntur in altum, & cum illis quoque flores exurgunt dulces. Altera huius generis planta, quæ in syluis prouenit, latiora habet folia, flos illi planè inodorus, cùm alterius odor sit quasi mellis. Medetur stillatitia aqua è floribus dolori capitis à caliditate singulari experimento.

HEDERA TERREST.

De succo tumidum, flatum, durumq; lienem,
Sumito, & ischiadem sic minuisse potes.
Icterus amisso, sic & tua membra colore
Deserit, & pestis corq; domumq; tuam.
Si pus post morbum lateris de pectore surgit,
Indeq; pulmones vlcera fœda times,
Sis memor exortis hinc absorbere diebus,
De distillata siccus & æger aqua.

Hedera terrestris, χαμαικίσσος, Corona terræ aliàs. Germanis, Grundtreb, hæc plerunque in hortis iuxta sepes & muros toto anno vegeta reperitur, mense Aprili purpureis violis emicat. Caulis illi quadrangulus, ac vndique rotundis maluaceisque foliolis vestitus, instar Betonicæ crenatus, odoratus, subhirsutus: calefacit.

HEMEROCALLIS.

Sumpta frequens gelidū radix perpurgat hydropem,
Vtilis ambustis illita planta locis.
Si pariens mammas patiatur phlegmone duras,
Soluitur appositis frondibus inde tumor.

Hemerocallis, ἡμεροκαλλίς. Ital. Hemerocalle. Gall. Lis jaulne. Brab. leikens van caluarien. German. Heidnisch gilgen & meyenblumlin. Officinis Lilium conuallium, vt vult etiam Otho Brunfelsius, & meritò nisi radix obstaret, quæ Lilio conuallium bulbosa non est: hemerocalli verò est. Sunt qui Affodillum pari errore esse putant, cùm illius radix neq; sit amara, neq; acris vti est Asphodeli. At hemerocallis naturam habet lilij, folio illi similis, floribus per singulos foliorum exortus, ternis aut quaternis erumpentibus, colore luteo pallidóue, radice bulbosa. At lilium conuallium gemi nis constat folijs, lilij albi similibus, è quorum medio pediculus triangularis figuræ emergit, senis aut quinis globulis ornatus, qui Maio mense panduntur in modum Cymbali, euaduntq; in flosculos niueos, rotundos, cauos, odoratissimos, gustu amaros, inferiore sui parte serratos, in medio internæ partis purpureo punctulo notatos. His pereuntibus, fructum profert rubrum Asparago haud dissimilem.
Huius flores distillati in generoso vino loquelam amissam restituunt, syncopa correptis auxilio

xilio sunt, attonitos & phreneticos mentis cõpotes reddunt certa experientia. At ad hemerocallim redimus.

HEPATICA NOBILIS.

Illine, constringit perfusum sanguine vulnus,
Ictericosq; nouo pota colore beat.
Hinc discet paruo vitæ discrimine febres,
Et choleræ rabiem, phlegmona ferre iecur.

Hepatica nobilis. Ital. Hepatica. Gal. hepatique. Brab. stein leuercruyt. Germanis, der Gulden klee aut edel leberkraut. Martio mense plicata emittit folia, initijs Oxytriphillo similia, sed maiora: vbi verò adoleuerint, cum Assaro conferri possunt. Porrò tam flores quàm folia lanuginosis insident pediculis, flos est in albo cœruleus, semen itidem cœruleum. Nascitur in syluis spontè, hodie seritur in hortis. Sunt qui Lichen esse statuunt. At Lichen potius ea hepatica est, quæ saxis adhæret, & familiaris est (vt tradit Plinius) fontibus profundioribus & rorulentis saxis gaudens, folio copioso, succi pleno, squamarum instar stipato & contexto. Radix illi nihil aliud est quàm mollis lanugo qua saxis hæret. Herba tota vtilis certè pulmonis vitijs præsertim calidis, inflammationes arcens, & fluxiones cohibens. Porrò ad hepaticam quoque pertinet Pulmonaria, Germanis Lungenkraut dicta, in muscosis Quercubus nonnunquam & muscosis

petris prouenieńs, & vmbrosis syluis, prædictæ Iecorariæ similis, sed maior per omnia, folio rugoso, sicco, ad asthma, tussim, & suspiria efficax, si cum Aniso, & Enula in puluerem redigatur & sumatur.

HARVNDO.

Cortex infixas ducit de carne sagittas,
Germina sed sacris sunt inimica rogis.
Tum simul abstergunt, ad lumborumq́; dolores,
Non modicam præstant si experiaris opem.

Harundo, κάλαμος, Canna aliâs. Italis, Canna. Gall. Roseau. Brabantis, riet. Multa huius sunt genera. At noster vulgaris Arundo vallaris seu sepicularis dicitur, gracilis ille, & macerijs expetitus. Radix abstergit, cortex vstus siccat & calefacit.

HYPPOGLOSSVM.

Ad subreptantes vteros de puluere drachma,
Ad vitium vuluæ quodlibet inde datur.
Si tua se in scrotum intestina reuoluere nolles,
Successu sumas pondera dicta pari.

Hyppoglossum, Barbaris Vuularia, Officinis Bislingua. Italis, Hippoglosso & Bonifacia. Gallis, herbe de vilain. Brabant. keele cruyt. Germ. Beerblat. Folio est Rusci, spinosa coma, & in summo seu linguis è folijs exeuntibus, præ-

præſentiſsimum remedium ad vuluę ſtrangulatus, ad omnes matricis affectus, ad rupturam, puluis radicis datur ʒ. pondere.

HYOSCYAMVS.

Ad calidos fluxus & acutos illita confert,
Liberat & magno planta dolore locos,
Tum dentes radix cruciatu, collue vino
Lætus acetoſo guttura nota frequens.
Inflatas reprimunt mammas & menſtrua ſiſtunt,
Semina ſi fuerint candida, nigra fuge.
Sed ſuccus longum ſpargit per membra ſoporem
Sumptus, & ad quæuis tormina, ſurda facit.

Hyoſcyamus, ὑοσκύαμος, Officinis, Iuſquiamus. Altercum Scribonio. Italis, Hioſciamo. Gallis, hanne bane. Brabantis, bilſem. Germanis, Dollkraut. Notus eſt paſsim hyoſcyamus, qui mediocriter flauum habet ſemen. Frutex radice candida, recta, digitumq́; craſſa, ex qua caulis craſſus proſilit, folijs veſtitus pinguibus, mollibus, lanuginoſis, nigricantibus. Pro flore campanulas quaſdam pallidas atque lucidas ex vaſculis rotundis exilientes gerit. Quæ decuſſo flore in calyculos operculo quodam tectos deſinunt. Candidus hyoſcyamus, qui & ſatiuus dicitur, huic ſimilis eſt, niſi quòd illi & folia ſuperiora magis ſunt exigua, & ſemen candidius habeat. Tertia ſpecies ſemine eſt nigro, floribus purpureis. Minus

noxia est secunda, si intrò assumatur, à reliquis abstinendum, licet foris cum polenta tusa ad omnis generis dolores mitigandos valeant: frigent penè quarto gradu.

HIRVNDO.

His tibi combustis cineres face, pristina visus
Inde acies, oculis inijce grata redit.
Atq; etiam anginam, tacitosq; in gutture morbos,
Ex melle efficias hinc cataplasma, fugat.

Hirundo, χελιδών. Ital. Rondina. Gal. harundelle. Brabant. swalwe. Germ. Schwalbe. Est vna earum species quæ in domibus nidos parat: altera magis vetustorum ædificiorum cauernulas, montiumq; scopulos expetit. Solæ auium non rapacium carnes edunt, & miro naturæ instinctu pullorum visum vsu herbę chelidoniæ restituunt.

HORDEVM.

Inflat, sed coctum flatus deponit, & implet
Candenti mammas, sumito, lacte tuas.
Illius ex mulsa cum ficis cocta farina
Discutit, & cedit corporis inde tumor.
Hinc gratus febri cibus & fit potus adustæ,
Vt madeant gelido corpora sicca sero.

Hordeum, κριθη. Ital. Orzo. Gal. orge. Brab. geerst, frigidum & siccum est primo ordine, & aliquantum abstersorium. A tritico, commendatur hordeum pro cibo, post quod Spelta est.

Zitum

Zitum potus est ex macerato hordeo, Ceruisiam nostri vocant, à quo non multum dissentit Curmi. Hordeum verò maceratum quod germinauit, Byne Aetio vocatur, præsertim cum ligulis enatis torretur. Braban. mout. German. Maltz, Far porrò aut Zea, nostris Spelta vocata ab hordeo differens est. Gal. de lespeautre. Germ. Speltz. At Alica est Zea deglubita. Brab. gort dicta. Ptisanæ conficiendæ modus notus est medicis.

HORMINIVM.

Pota caput temptat decoctio, menstrua pellit,
Et grata est tumidis herba subacta locis.
Vtitur hac Paphiæ cùm visere regna Pryapus,
Cùm gestit solitos noctis inire modos.

Horminium, ὅρμινον, galli Centrum officinis. Ital. Hormino. Gall. ornaile. Brab. Scharley: nonnullis Callitricum & Scarlea: Duplex est, hortense, & syluestre: primum folia fert incana & hirsuta cinerei coloris: caulis illi quadrangulus, flos in cãdido subcœsius, ita vt quo ad caulem & florem saluiam maiorem referat. Syluestre huic est simile, sed folio minori, & planè cum candido Marrubio conuenit: vnde sunt qui illud agreste Marrubium vocant.

HYPERICVM.

Cum folijs semen decoctum menstrua ducit,
Sumito, fit coxæ mitior inde dolor.

Purgando bilem febres è corpore pellit,
Renibus & lapidem fortiter inde tuis.

Hypericum, ὑπέρικον. Italis, Hiperico. Gall. Milpertuys. Brab. Sint jans cruyt. German. Harthawe. Perforata aliàs & fuga Dęmonum, Folio est rutæ, flore albæ violæ luteo, qui digitis tritus, sanguineum succum remittit. Hypericum, Ascyrum, & Androsemum eiusdem generis sunt, sola in caule & folijs est differentia. Calefacit & siccat cum subtilitate partium. Hypericum dicitur Apoplexiæ & morbo comitiali mederi, item febri tertianæ & quartanæ certo experimento.

IVNIPERVS.

Baccas sume libens si flatu extenditur aluus,
Et suppressa simul, si tibi vulua siet.
Si nocuus serpens tibiámue, manúmue momordit,
Sume, erit innocue vipera tacta tibi.
Si cerebrum infestant acres gelidíue catharri,
Suffitu poteris inde tulisse malum.
Ast olei accipiens drachmam quartana recedet,
Dentis & vrinæ noxa dolorq; tuæ.
Concoquit hoc tußes, densosq; in corpore succos,
Ischiadi, & ruptis consuluisse potest.

Iuniperus, ἀρκευθίς. Italis, Genepro. Gal. geneure. German. Weckholderbaum. Nota est tam illa humilis frequés apud nos, quàm quæ proceræ est staturæ. Profert Iuniperus baccas, &

& è cortice (Maio præſertim menſe) luteam ſudat lachrymam ſiue gummi, quod Sandaracham & Vernicem vocant Arabes: quanquam vernix tum verè dicatur, cum ſandarachæ miſcetur oleum ex lini ſemine preſſum, cuius eſt vſus ad illuſtrandas picturas, & ad dolores Hemorrhoidum vtilis: calet & ſiccat Iuniperus.

IRIS.

Pectoris & cordis nouit ſedare dolores,
Et leuat hos craſſo phlegmate ſumpta locos.
Serpentum morſus perimit, tuſſesq́ coercet,
Emollit ſtrumas, oraq́ grata facit.
Tum caput, hydropem purgat, ſed iungito Nardum,
Aut ſtomacho radix eſt nocitura tuo.

Iris, ἶρις. Italis, Iride. Gallis, flambe ou glaye ul. Brabant. liſcouer zee. Germanis, Blauwe gilgé. Officinis Ireos. Optima eſt illyrica. Huius generis eſt illa Florentina iris, cuius radice optimus odor pannis cõciliatur. Folia fert gladioli, ſed maiora, latiora & pinguiora, flores à caule ęqualibus ſpatijs diſtant incurui, varij, ſiquidem candidi, pallentes, purpurei aut cœrulei, qua ſpecie quædam cœleſtis arcus imago repræſentatur: licet eiuſmodi varietas, iridis etiam varietates indicet, ne quis putet, omnes æquè colore eſſe varias. Radix omnibus ſubiacet geniculata, dura, odorata, vni ta-

men præ cæteris flaua & subruffa, quæ Rizotomos Plinij dici potest.

IVNCVS ODOR.

Si quid fastidit stomachus piper addito iunco,
Si cruor expuitur, sume, superstes eris.
Seu tibi sit venter gelida distentus ab aura,
Seu tumeat flaua, nocte refertus aqua.
Radix pulmonis, iecoris, renumq; dolori,
Præstat opem capiti, sit licet atra tuo.

Iuncus odoratus, Σχοίνου ἄνθος, Squinantum Officinis. Iunci flos alias, qui tamen ad nos hodie non peruenit, sed stipites tantùm, folia, & radices. Gall. Pasture à chameaux. Germ. Kamelhewe, calefacit & siccat.

INTYBVS.

Aluum cocta premit, stomachoq; perutilis esca est,
Temperat exustum, sumpta, subacta iecur.
Quæq; fluunt sistit genitalia semina succus,
Obstructas reserat corporis herba vias.
Illine cardiacis, pedibusq; dolentibus igne,
Mitior hinc febris, phlegmonis ira redit.

Intybus, Σέρις, Endiuia. Ital. Indiuia. Gall. Endiuie. Brabant. witte endiue. German. Zam endiuien, geißzungen. Est domestica & syluestris. Domestica rursus duplex est, vna folia habet maxima, lactucæ similia, linguam referentia, ac minimè incisa: semen nigricat. Caulem secun-

ſecundo anno producit rotundum, craſſum, lacteo & amaro ſucco præditum, in vertice multis ramis brachiatum, florem gerit luteum qui in pappos euolat. Altera & magis vulgaris Endiuia in folijs diſsidet, quòd ea maioribus inciſuris diuiſa habet. Caulis illi admodum magnus & purpuraſcens ferè, ſpinulis multis horrent venæ foliorum, in hortis ad muros prouenit. In quauis ardente febre vtimur citra periculum huius aqua ſtillatitia ad ſitim & inflammationes pulmonis aut hepatis reſtringendas & ſudores immodicos. Porrò ſylueſtris Endiuia etiam duplex eſt, ſed in his nec magna eſt differentia, niſi in folijs, quæ ſylueſtribus anguſtiora ſunt, ſemen magis exiguum. Vtriuſque eadem facultas, refrigerant & obſtructionibus lienem, & hepar liberant.

ISOPYRON.

Educit craſſos, gelidosq́; è corpore ſuccos,
Et tuſsim multi ſanguinis herba domat.

Iſopyron, ἰσόπυρον. Sunt qui Phaſiolum appellant ob ſimilitudinem, quoniam folium quod eſt Aniſo ſimile in pampinos torquetur, capitula in ſummo tenuia, plena ſeminis, Melanthij guſtum referentia. Brabantis, Bocxboonen appellatur.

LASER.

Decocti dabitur prægnantibus vncia, quò ſic
Matricis viuum conſpiciatur opus.

Quò pestem vites, quò serpentumq; venena
Poßis discußis irrita ferre malis.
Vuam sustollit succus cum melle perunctam,
Icterus hinc niueo, sume, colore nouat.
Restituit vocem, febrisq; rigoribus obstat,
Gutturis anginam sic remouere potest.
Sic & aquam vẽtris, menses, morbumq; caducum,
Sicq; cruces lateris, tußiculaq; tua.
Illinc cum ficis, clauis, strumisq; medetur,
Et scabie infectæ nocte dieq; cuti.
Id face Carbunclis, polypis, dentisq; dolori,
Conuulsis, ruptis torminibusq; coli.

Laser, Σίλφιον, Laserpitium aliàs. Planta est ferulacea, caule ferulæ aut Coryli, colore aureo & suaui, semine Atriplicis, folio Apij, radice ad magnitudinem cubiti ascendente. Hæc inciditur cũ caule, vnde defluit humor qui liquor cyreniacus aut Indicus dicitur, exiccatusque ad solem asseruatur, acer est, mordax, myrrhæ æmulus, odoratus, qui dilutus citò albescit. Talis non extat in officinis: Nam, is quẽ illæ ostẽtant, pro Indico & Cyreniaco hoc liquore, quem etiam gummi Benzui, Ben Iudeum, aut Benioin vocát, potius selectissima myrrha est. Quanquam non desint, qui hunc liquorem quẽ Officinæ peculiari nomine Assam odoratam vocant legitimum esse negent, quòd Assa odorata apud Indos in vsus condiendorũ ciborum veniat, Benzui verò minimè. Est porrò

& alius huius laſeris liquor, qui Aſſa fœtida nuncupatur. Brabant. Fierilofonfa, non contemnendi in medicina vſus.

LACTVCA.

Conciliat ſomnum, placidosq́ cupidinis arcus
Eneruat, calidis grata medela locis.
Mitigat ardorem choleræ, faſtidia pellit,
Laudandoq́; ſimul ſanguine corpus alit.

Lactuca, θρίδαξ. Italis, Lactuca & ſcaruola. Gallis, laictue. Brabantis, latwe. Germanis, Lattich, nota eſt, & à Columella in tria genera diuiditur. In lactucam Cypriam, quæ apud nos maxima eſt, in Cappadocam, quæ folia habet albida, & demum in eam quæ capitata dici poteſt, quòd illius folia in capitis formam protuberent. Eſt & ſecus muros, macerias & ſepes, aculeis & ſpinis aſperioribus multò, quàm cætera proueniens lactuca, quæ Syluestris dicitur, guſtu admodum amaro, quam nonnulli pro vera Endiuia vſurpant, ſed infami errore, cùm acris ſit & abſtergens, aquamq́ue per aluum, & menſes eliciat, ſomnum verò conciliet imbecillius quàm ſatiua, quæ refrigerat & humectat, bonumq́ue ſanguinem gignit, & ſenibus vtilis eſt cum mentha, Petroſelino aut aromatibus cocta & eſitata, licet Venerem refrenet, & claritati oculorum officiat.

LARIX.

Aſtringit cortex ſerpentia vulnera, fœtus
Excutit, at venter ſtrictior inde manet.
Illius & ſanat tuſſes, ſimul aſthmata, gummi
Sumito, ſed lepras illinc ſæpe tuas.

Larix, λάριξ. Gallis, large. German. Lerchenbaum. Hæc nimirum ea eſt, ex qua Terebinthina Germanica effluit. Arbor eſt Piceæ ſimilis in cuius temperamento aeris & ignis eſt minimum, humoris verò terreni plurimum. Agaricus copiosè in larice prouenit, quanquá etiam & in alijs arboribus.

LIMONIVM.

Sanat cœliacos, internaq; vulnera ſuccus,
Et laſciua ſimul menſtrua, ſumpta, regit

Limonium, λειμώνιον. Ital. Limonio. Gal. re parec. Braban. winter groen. German. Holtz mangolt, & pyrola quibuſdam. Duplex eſt: vna in nonnullis humectis pratis & paſcuis prouenit, folijs tenerrimis, Betæ ſatiuæ ſimilibus, ternis plerunque inſtar trifolij, caule eſt erecto in cuius vertice candidi, lanuginoſi, & coacti floſculi apparent. Altera nihil aliud eſt quàm Beta ſylueſtris quædam. Cuius folia firma ſunt & ſolida inſtar foliorum Pyri, viridia etiam per hyemem. Naſcitur in vliginoſis locis, & ſub arbuſtis muſcoſis. Porrò hæc plantula quina aut ſena fundit folia, è quorum medio

tenues

tenues prosiliunt coliculi elegantissimis niueisq; ac forma sua flores lilij conuallij repræsentantibus emicantes. Herba certè ad vulnera consolidanda efficax.

LEVCOIVM.

Abscessus vuluæ reprimit, tum menstrua pellit,
Hinc tumor infarti, sume, lienis abit.
Illinc, quò rimis sedis sæuæq; podagræ,
Aut oculi maculis quò medeare tui.
Sed cape successu mirando ex flore liquorem,
Si stomachus, matrix, renúe, iecúrue dolent.

Leucoium, λευκοιον. Quotquot de violis scripserunt, ij omnes violas, cuiuscunque sint coloris, Leucoia nominant, inter has prima & omnium efficacissima est Viola lutea, Officinis Keiri dicta: vnde oleum Keirinum, quod nonnulli substituunt Balsamo, Gallis vocatur hæc viola Girofflee de karesme, ou de murez, Braban. stein vilieren, Germanis, Gäl violen. Crescit spontè in muris & antiquis ædificijs. Frutex, ramosis folijs, oblongis, herbacei coloris vestitus, in cuius cacuminibus quamplurimæ erumpunt Violæ odoratissimæ, cùm recentes sunt, quarum aqua distillata per aliquot dies continuè vsurpata, dicitur interna membra roborare, sanguinem & mentem exhilarare, dolorem sedare, & quietem inducere. Huc referri posset Viola alba, quæ Brab. stoc vilierē dicitur, aliàs viola matronalis

Eſt & viola latifolia antiquis Thlaſpi cratene, aut ſinapi Perſicum. Denique hîc comprehendi poſſunt omnes ſpecies Vetonicæ, violæ altilis aliàs ſeu Coronariæ, Gal. Violette herbue dictæ. Brabant. ginofflen. Poſſunt hîc aſcribi & Armerij flores aut faſciculi florum, Braban. Keykens dicti. Omnes hæ violæ præſertim lutea, de qua hîc agimus, calefaciunt & ſiccant cum tenuitate partium. Cæterùm ex Leucoio ſeu albis violæ floribus fit oleum illud Iaſminum, & non è Gelſimino herba illa topiaria, vt volunt nonnulli.

LVNARIA.

Hoc tibi vulneribus promptum medicamen habeto,
Menſtrua ſi tibi ſint nil magis alba premit.

Lunaria, Σηλένιτις, quibuſdam. Ital. Lunaria. Brab. maenkraut. German. Monrautten, quaſi dîcas lunaticam rutam: aiunt enim quòd tot inciſuris lunariæ folium diſſectum videatur, quot diebus ſupra terram luna fuerit. Naſcitur in altiſsimis ſyluis, rotundo caule, vnico, ſed vtrinque quinis aut ſenis inciſuris diſſecto, folio rutæ propè conſimili, &c. ſiccat & refrigerat vti Pyrola.

LINVM.

Hoc face torpenti ſtimulos laſciue Priapo
Flabraq; pulmoni tuſsiculoſe tuo.
Illine cum nitro ſimul & cum puluere ficus,
Duritiem membri diſcutis inde tui.

Hinc

Hinc oleum ambuſtis, ſpaſmoq́; perutile fertur,
Pungenti & lateris ſubſidio eſſe cuti.

Linum. λίνον. Ital. lino. Gall. lin. Brab. vlas. Ger. Flachs. notũ eſt hodie, nec multa delineatione eget. Flatuoſum eſt eius ſemen, calidũ in primo, medium inter ſiccũ & humidum. Qui internis inflãmationibus infeſtantur, his prodeſt dare decoctum ſeminis lini cum melle: tuſſim enim finit, & dolorem mitigat.

LADANVM.

Deciduum firmat cum myrrha oleoq́; capillum,
Prodit & hoc ſumpto tarda ſecunda foras.
Compeſcit tuſſim, ſæuoſq́; in parte dolores,
Vtile pro ſchyrris inde malagma face.

Ladanum. λάδανον. officinis Labdanum. Pinguedo quædam eſt quam fruticibus Ciſti (Lędon appellati) adhæreſcentem agricolæ decerpunt. Colligunt & eam è barbis caprarum Ciſti frondes paſcentium: ſpiſſat, calefacit, mollit, orificia venarum aperit.

LILIVM.

Digerit, abſtergit, deſiccat, dura remollit,
Et valet ambuſtis herba ſubacta locis.
Adiecto ſuccus ſub flauo vulnera melle
Glutinat, vlceribus fertq́; potenter opem.
Præciſis radix præſentia munera neruis,
Luxatis, lepræ, phlegmonibusq́; refert.
Si in gelida flatus, ſi ſanguis adhæſerit aluo,
Sumito, per ventrem flatus abibit iners.

Lilium. κρίνον & λείριον. Ital. giglio. Gall. lis. Brabant. lelie. German. Gilgen. notum est. Eius radix primæ detergentium est classis, modicè emollit & concoquit: flos substantia constat mista, ex tenui, terrea & aquea. E lilijs fit vnguentum Lirium aut Susinum appellatum. Aquã distillatã pleriq; magnis laudibus efferũt ad amissam vocem recuperandam, & restituendos eos qui animi deliquio labũtur, ad inflammationem hepatis mitigãdam, ad hydropicos, deniq; ad parientes, vt facilius pariant.

LVPINVS.

Expellis vermes sumpta cum melle farina,
Hæc eadem partus, menstrua sera trahit.
Herba foris coxæ lenit substrata dolorem,
Et maculas vultus illitione texit.
Purgat & infartum iecur, aut humore lienem
Sumito, morsibus est tuta medela canum.
Subdito cum myrrha, nam suscitat illa secundas
Fœtibus & patulas curat adesse vias.

Lupinus. θέρμος. Ita. lupini, Gal. lupin. Bra. lupijenen. Ger. Feigbonen. Lupinus vnicaulis euadit, viri proceritatem quandoque attingens, surculosus multisque in summitate ramis (qui omnes stellatis ornantur folijs) brachiatus. Flores candidos instar ciceris arietini profert, copiosos & frequentes, qui in teretes & hirsutas siliquas abeũt: ter in anno floret, teste Plinio. Aqua decoctionis lupinorũ omnis generis

generis ſcabies, gangrenæ, eruptiones puſtularum, papulæ maculæq́; faciei, necnon manãtia capitis vlcera mirificè ſanãtur, ſi ex illa aliquoties affectæ partes abluantur, & ſic cutis nitida redditur.

LINARIA.

Conuenit ictericis, nunquam tibi ſmegmata fœdæ
Fœmineæ facies commodiora cuti.
Subuenit vrinæ guttatim ſumpta cadenti
Quòdq́; iecur, renes obſtruit, herba mouet.

Linaria. ὀσύρις. Eſula adulterina quibuſdam de qua antiquus verſus: *Eſula lacteſcit, ſine lacte linaria creſcit.* Eſt igitur Linaria Eſulæ ſimilima, niſi quòd lacteũ ſuccũ nõ effundit, & flore emicat luteo, forma floris Conſolidę regalis. Porrò in medio horum florum, planè lutea ac omni odore deſtituta exiliunt ſtamina, quæ in rotundos abeunt folliculos lato ſemine refertos: hæc vocatur Gal. lin ſauuage. Brab. wilde vlas. Germ. Linkraut, harnkraut. Eſt aũt & quę paſsim occurrit alia linaria lino adeo ſimilis, vt vix diſcerni queat: vnici coliculi plãta inter linum prorumpens, multis canis & acuminatis folliculis prædita, in quibus copioſum ſemẽ & luteũ auiculis paſcẽdis cõmodiſsimum. Linaria prima illa naſcitur incultis agrorum limitib. in muris, hortis, ac ſecus ſepes: aperit, laxat, & refrigerat. Aqua eius diſtillata potenter vrinam mouet: ſi cum ℥ j. corticis Ebuli detur potanda, laxat aluũ, diſcutit regium morbũ, &

mirè inflammationẽ & oculorũ ruborẽ tollit.

LYSIMACHIA.

Succus labentem ſiſtit de nare cruorem,
Et ventris fluxus ore reſume domat.

Lyſimachia. λυσιμάχιον. aliâs Salicaria. Ital. Lyſimachia. Gal. ſoucy ou pelleboſſe. Duo extant eius genera: primũ, flore eſt luteo ſeu aureo, ſed prorſus inodorato, folia habet Hyrundinariæ geniculatim è caule prodeuntia, & bina ſeſe mutuo reſpicientia. Alterum purpureas fert violas, folia anguſtiora habens, & ad formam Salicis accedentia.

LAVRVS.

Pondera drachmarum ſi ſex parientibus offers,
Exponent fœtum commodiore modo.
His ſimul vrinam ſtillantem, faucibus aphtas,
Et duces ſolito menſtrua tarda die.

Laurus Alexandrinus. δάφνη ἀλεξάνδρεια. Ital. Lauro, alloro, orbaco. Gall. laurier Alexandrin. Ger. Zäpfflin kraut. Caules habet rotundos veluti Sigillum Salomonis vulgo dictum, vtrinq; craſsis folijs veſtitos diluti viroris lauro ſimilibus, ſed tenerioribus & mollioribus. Porrò quodq; foliũ aliud ex ſe gignit foliolum lingulæ aut vuulæ appenſæ ſimilimum, vnde & Vuularia dicitur. Inter folia & caules rubri conſpiciuntur acini: herba calida eſt & exſiccans, ad Anginam & humectam columellam vtilis. Radix intro aſſumitur à parientibus.

LITHAR-

LITHARGYRVM.

Mitigat, aſtringit, mediocriter vlcera ſiccat,
Atque eadem pulchra carne ſubacta replet.

Lithargyrum. λιθάργυρος, argenti ſpuma. Gall. eſcume d'argent. Germ. Gled. Nihil aliud eſt niſi plumbum æri, aut aliquando argento, depurantium negligentia permiſtum, vnde à colore aut Chryſitis aut Argyritis aut Molybditis vocatur.

LOLIVM.

Hæc regit herba nomas & ſordida vulnera quæq;
Concoquit abſceſſus, membra dolore leuat.
Subſtolidos reddit ſemen, ſomnoq; grauatos,
Suffitu tamen eſt fœmina fœta magis.

Lolium. αἶρα. Ital. loglio. Gal. yuraye. Brab. ouer vyt. harick. Germ. Dort. Quibuſdam Pſeudomelanthiũ, licet hoc calycem ſeu caput proferat, illud non, ſed ſpicá ſolum: Naſcitur inter frumenta quæ etiam tempore valde pluuioſo ſæpe in lolium degenerant. Multa proinde ſunt loliorum genera, ita vt ſingulæ fruges ſingula habeant ſua vitia. Lolium de quo hic agimus, conſtat folio anguſto, pingui, piloſo, flore ſubpurpureo, ſemine exili, in ſiliqua hiſpida: calefacit & ſiccat ſecundo, & ebrietatem conciliat, ſimul & ſomnolentiam inducit.

LEPVS.

Aſſatum leporis firmat, ſumptumq; cerebrum
Ex morbi tremulas, conditione manus.

Tum suaui affrictu dentes producit in auras,
Spargitur in faciem, sic nitet illa cruor.
At cinis exustæ pellis lapidem inde potenter
Renibus educit, tormina ventre tuo.

Lepus terrestris notum animal est, quod inter vtrinq; dentata & vnicum ventrem continent, solum habet coagulum.

LAC.

Impinguat, tussim lenit, feruoribus obstat,
Et ventrem fœdum ponere cogit onus.
Mitigat erosas partes, combustaq; membra,
Sed febri, neruis, phlegmaticisq; nocet.
Si mœstus nigræ timeas succumbere bili,
Hanc purgat, lactis sæpe resume serum.
Si mollis fuerit nutrit bene caseus, at tu
De duro lenta, sume alimenta manu.

Lac. γάλα. notum est. Fit ex eo lac pressum. Ital. giuncata. Gal. molle fromage. Brab. platte-keese. Item lac serosum siue agitatum. Gal. laict bure. Brab. bootermilck. Germ. Kurmilck. Est & flos lactis, cremor lactis, aut pingue lactis. Gal. creme. Br. rom, zaen. Germ. Ramen. Item Serum lactis. Gal. ser du laict. Bra. wye. Germ. Schotten. Deniq; est coagulum quo cogitur spissaturq; lac. Gal. pressure. Bra. runsel. Germ. Dermaghen. Colostrum verò lac nouum est, quod post fœtum mulgetur. Gall. laict caillé. Braban. biest. Lac humanum ad medicinam omnibus præstantius est. Ab eo sequitur Caprinum,

num, poſtea eo craſsius vaccinum. Seroſius his Aſininum. Quo proſit lac ſumptũ, addendum illi eſt ſaccarum aut mel ne coaguletur in ſtomacho: nihilq́: aut paulo antè aut pòſt cibi ſumendum aut potûs.

LYCIVM.

Ictericum ſanans inflammatumq́ lienem,
Educit ſi quæ te pituita grauat.
Tum caligantes oculos humore remoto
Illuſtrat, ſumptum ſæua venena domat.

Lycium. λύκιον. aliâs Buxus ſpinoſa ſeu aſinina. Arbor eſt in Cappadocia naſcens, è cuius expreſsis folijs, radicibus & ramuſculis ſit Lycium, liquor quidam officinarum: licet qui hodie proſtat non ſit legitimus, cuius ſuccedaneum poterit eſſe Sumach.

LAPIS ARMENVS.

Aſtringit, terget. ſimul ad bilemq́ ciendam
Tutior Elleboro ſumitur ore tuam.
Hic datur Aſthmaticis quibus hærens gutture phlegma
Suffocat, & vitæ fata diemq́ trahit.

Lapis Armenus. ἀρμένιος λίθος. colore Chryſocollá refert, ſelectiſsimus qui ſummè viret, huic ſimilis eſt lapis lazuli, aliâs Cyaneus, cœruleus aut ſtellatus. Ital. azzuro, o, vero turcineo. Gal. lazur. Ger. Berglawe lazur: ſed non eſt tá cœruleus, etiáſi in ijſdẽ fodinis reperiantur ambo, & in eadẽ maſſa. Putrefaciẽtis eſt facultatis lapis Armenꝰ ſed noxa omnis multiplici lotiõe emẽ-

datur, ſic enim vel pondere trium granorum datus optime purgat melancholiã & phlegma, interdum per vomitum, ſemper per ventrem.

LACCA.

Ventris aquam pellit, firmat quoq; candida mẽbra
Si fuerint croceo picta colore facit.
Exterit & maculas oculorum, menſtrua ducit
Corporis & molem comminuiſſe poteſt.
Liberat Herculea cerebrum ægritudine, pectus
Aſthmate, ſic dentes hinc doluêre minus.

Lacca. Cancanum Dioſcoridis non eſt, ſi quibuſdã credimus: nam hoc lachryma eſt arboris Arabicæ viroſi guſtus, quam gummi Amijmum vocant. At Lacca rubea quædam res eſt ex Armenia allata, non ingrati ſaporis, cuius eſt vſus ad ſericorum vellerum infectum. Vide Mathiolum de ea re latius diſſerentem.

LIGVSTRVM.

Dicitur hæc magnas in vulnera promere vires,
Vlcera ne ſerpant continuiſſe poteſt.

Liguſtrũ, φιλλύρεα, alijs κύπρος, Cuprus Dioſcoridis. Gall. troeſne. Brab. keel cruyt. Germa. Mundholtz: nam gargarizatu vlcera oris mirè ſanantur, frequens vbiq; in vepribus, dumetis, ſecus itinera & limites agrorum: maximè in ripis fluuiorum, folia habet hic frutex Salicis, florem cãdidum, de quo cecinit Virgilius: Alba liguſtra cadunt: Flores hi ſuauiſsimi odoris, in acinos nigros deſinunt, quibus nonnulli ru-

li rubello vino nigrum colorem inducunt, alij atramentum ex ijs faciunt.

LAPATHVM.

Astrictam lenit decoctio Rumicis aluum,
Et stomachi fastus tollere planta potest.
Phlegmona maturat, pruritum corpore pellit
Lepram, lumbricos, phlegmata cocta simul.
Sic scabiem radix, lapidemq́; è renibus effert,
Ictericum sanans, menstrua tarda ciens.

Lapathum. λάπαθον. Rumex Latinis. Varia sunt Rumicis genera: primus est Rumex grandis, & ἱππολάπαθον dicitur, vulgò Rhabarbarum monachorum. Gall. patience. Brabantis, heidnisch, German. Münch rhabarbarum, aut Menwelwurtz vocatur. A cæteris Rumicis generibus parum differt, nisi quòd folio & caule magis rubet & procerior est: radicē habet amplissimam, intus crocei coloris, folia illi initio subruffa, postea viridia & lata, vti Raphani maioris, aut Elenij, in summitate caulium qui con caui sunt, multi lutei flores racematim dependent, ijs in purpureum colorē mutatis, semen succedit. Huius radicis siccæ ℥ j. cū ℈. j. gingibris hausta ex vino tutissimè phlegma & cholerā per inferiora educit. Secūdū Lapathi genus est Oxylapathū, siue lapatium acutum, Gal. parelle, ou herbe à tigneux. Brab. perdick, Germ. Grindtwurtz, Wilder ampffer. Tertium oxalis est siue acetosa. Gal. surelle, ou ozielle. Braban.

ſurckele. Germ. Sauwrampffer. Demum eſt lapathum magnum ſeu rumex paluſtris. Gal. parelle des marez. Braban. waterpatich. German. Menwelwurtz: primo ſimilis. Semina lapathorum aſtringunt, reliqua in lapathis aluũ emolliunt. Huc refertur Tota bona ſiue bonus Henricus, Aureum olus aliâs, folijs farina quaſi aſperſis, &c.

LIGVSTICVM.

Tuſsibus & nocuis ſerpentum morſibus obſtat,
Radix duritiem, phlegmona cuncta domat.
Veſicæ vitijs ſemen, renum, atq; liehis,
Flatibus, Iſchiadi, conſuluiſſe poteſt.
Sudoreſq; mouet, menſes è corpore pellit,
Febres: & tumidi purgat hydropis aquam.

Liguſticum. λιγυστικόν. Ital. liguſtro. Gal. lineſche. Germ. Lybſtöckel. Herba & folijs (vbi adoleuerit) deinde & concauo nodoſoq; caule, & radice adeo Angelicam repręſentat, vt nulla alia planta, colorē tñ non habet tam nigricantē vti Angelica, & inciſuræ illi ſunt profundiores. Muſcariũ in capitibus cauliũ fœniculo ſimile habet luteo flore emicás. Radix grauiſsimo odore acri etiã guſtu prędita eſt, quę ſingulis annis Maio mēſe aſparagos ſuos emittit rubicundos veluti Pæonia. Eſt & ſylueſtre liguſticum in foſsis, pratis, & paludibus frequens, radice caua & fungoſa, adeoq; lõga, vt fundum aquæ cõtingere nõ poſsit, ſed aquę ſupernatet.

LAPPA MINOR.

Fructibus efficies vt quas nigrore capilli
Contemnis, flauo post venerêre deas.
Quoslibet ij flatus, quodcunq; œdema resoluunt,
Hinc durus renum conteriturq; lapis.

Lappa minor. Ξανθίον. Lappa inuersa aliâs. Gal. glouteron. Brab. kleine klissen. Ger. Groß kletten. Nascitur in lacubus exiccatis & pingui solo, caule cubitali, anguloso, prodeuntibus ex eo crebris alis, folio atriplicis insecto. Inter folia & surculos fructus nascitur oblõgus, aculeatus binis plerunque aut ternis lappis coniunctim erumpentibus, spinosus quoque qui contactu vestibus adhæret.

LEMNIA TERRA.

Lemnia pulmonis conglutinat vlcera terra,
Et ventris fluxus sanguinis esa premit.
Nil melius pestem seu toxica sæua repellit,
Sumito cum tenui munera tanta mero.

Lemnia terra. λημνία γῆ. ea olim ex Lemno insula asportabatur. Quæ verò ad nos hodie sigillo impressa Turcico adfertur, vera non est, sed bolo armeno infucata & adulterata. Præstabit igitur bolo armeno vti in ei9 inopia, qui quidẽ nõ rubet, sed Ochrę in morem pallescit. Estq; duplex: Oriẽtalis pręstãtissimus, & nostras ille quo officinę ferè vtũtur quẽ certè non malè in alteri9 locũ substituerẽt si rectè pparet.

Abluatur igitur aceto vt purus reddatur ab arena, tum admixto oleo redigatur in maſſam.

LAVRVS.

Balnea de lauro flatus diſſoluere norunt,
Aſthmaq́; pulmonis bacca relincta tui.
Cuius ſi ſuccum inijcias vinumq́; roſasq́;
Auribus, efficias ſanius inde caput.
Laſſatos oleum neruos ſimul & fouet artus,
Et lapidem cortex renis amica terit.
Icterus obſtructi iecoris duriq́; lienis,
Huius decocto ceßat, & exit hydrops.

Laurus. δάφνη. Ital. alloro. Gal. laurier. Brab. laurusboom: nota arbor eſt, cuius Baccæ, Gal. baye de laurier vocantur. Bra. backeleers. German. Lorel.

LAVENDVLA.

Exiccat caput humectum, tum roborat hepar,
Et ſtomachum grato planta calore fouet.
Hinc diſtillata poteris curare veternum,
Et ſtupidæ ſenſum reddere partis aqua.

Lauendula. Plinio (vt quidam volunt) Saliunca dicitur, alijs Pſeudonardus. Ital. lauanda, o, ſpico. Gal. lauende. Brab. lauender ſpijck. Spica & lauendula, nec viribus nec forma admodũ differũt, vtraq; calefaciẽdi, diſcutiendi, & educendi vim obtinet, quę omnia Dioſcorides Nardis & Caſijs tribuit. Spica interim calidior eſt & grauioris odoris. Caulis vtriq; eſt quadrangularis, & aliquantulũ concauus, folia

plane

planè cineracea, latiora & longiora Roſmarino. Flos eſt copioſus & ex purpureo cœruleus prodiens è ſpicatis folliculis inſtar tritici.

LENTISCVS.

Explet decoctum caua vulnera, fractáq; nectit
Oſſa, ruinoſis quæ cecidere locis.
Erigit introrſum quæ ſe inteſtina relaxant,
Quæq; ſuis matrix viribus ægra ruit.
Arbor & hæc fundit lachrymam cui plurima dos eſt,
Gingiuas firmat, cœliacosq; iuuat.
Tum caput expurgat, ventris quoq; flumina frenat,
Illita ſiue ſiet, ſiue liquore data.

Lentiſcus. σχῖνος. Ital. lentiſco. Gal. reſtringe. Braban. maſticboom. Germ. Xendſcorerbaum. Nota eſt arbor in Italia, lentis folijs. Eſt procera, eſt & humilis, quæ etiá fert Maſtichen gummi illud vulgò notum: licet è Chio præſtantiſſimum aſportetur. Aſtringit, ſiccatq; lentiſcus tertio penè gradu, in caliditate & frigiditate ad temperiem accedens. Tali temperie eſt Maſtix, vnde optimum fit caput purgium.

LYCHNIS CORONARIA.

Sylueſtris ſucco deduces corpore bilem,
Inq; venenoſum hanc ſis memor eſſe cibum.

Lychnis coronaria. λύχνις στεφανωτική. Gallis, paſſerage, ou oilettes. Brab. Chriſtus ooghen iennettekens. Germ. Margen roſslin. Plinij eſt Roſa græca, non Roſa canina, cùm hæc odora-

tiſsima ſit,illa minimè. Lychnis calet & ſiccat: folia gerit longa, mollia, alba, lanuginoſa, caules geniculatos, cauos, in quorum ſummitatę flores è calycibus prodeunt,candidi,aliàs purpurei, aliâs cœrulei, interdum mixti ex cãdido & cœruleo. Cœruleus paſsim in frumentis reperitur, & Baptiſecula dicitur, & Viola flãmea. Ger. Kornblůmen, quę ſylueſtris eſt lychnis.

LAPPA MAIOR.

Pinea nux Lappæ vel drachmæ pondere trita,
Eſtomacho pellet cuncta cruenta tuo.
Vtilis vlceribus capitis renumq́; pedumq́;,
Succus ſerpentum morſibus ipſe nocet.
Hoc frontem irrorans cui febris aduſſerit artus,
Illa ſuo leuior orba calore redit.
Sed datur Iſchiadi ſemen,febriq́; quaternæ,
Et lapidi renum,morſibus inde canis.

Lappa maior. ἀρκεῖον. Arciũ. Perſonata aliàs, & Bardana officinis. Gal. gloteron. Brab. groote cliſſen. German. Groſs kletten. Frequens eſt circa agrorum margines, folio maximo, quod tritum & albumini oui permiſtum combuſtionibus mirabiliter medetur: valet & ad fœtida tibiarum vlcera, cum axungia porci. Radix verò trita cũ ſale, & appoſita morſum canis rabidi, ſtatim curat.

LENS.

Ventris aquam ſiccat,ſed ſomnia plena tumultus
Excitat, eſt neruis noxia ſumpta tuis.

Exte-

Exterius strumas, & sedis phlegmona soluit,
Aut quibus in mammis lac coijsse putas.

Lens. φάκος. Ital. lenticchia. Gal. lentille. Br. linsen. Lentes temperamento sunt inter calidum & frigidum: siccant secundo ordine. Cortex astringit, succus verò lentis astringenti est contrarius. Quare si elixæ lentis in aqua iusculum, sale, garo, oleo q; côditum bibatur, aluum deijciet. Quod ad lentis cibû attinet, solis quibus vitiosa est habitudo ob aquam in carne diffusã lẽs cibo vtilis prębetur, aridis & ceu squallentibus admodum damnosè eam ob causam visum inculpatû hebetat, immoderatè exiccãs.

LAPIS HÆMATITES.

Sanguinis ad sputum fidens ex puluere sume,
Hinc quoq; pulmonis vlcera fœda iuuans.
Menstrua compescit melius nil, flumina ventris,
Nil lachrymas oculi comodius ve tui.

Lapis hæmatites. Frequens est in Italia & Germania, friabilis, saturato colore, niger, astringens validè, & omnia profluuia fœminarum sistens. Id potest & Pyrites lapis qui Barbaris Marchesita dicitur. Gallis, pierre à feu. Braban. viersteen. German. Kupfferstein. quod ignem extritu reddat. Omnium tamen valentissimè id facit sanguis draconis, Dioscoridis Cinnabaris, lachryma gummosa & liquida quę ex arbore Africana distillat, vtilis etiã pictorû vsib. Nô est tñ officinarû illud Cinnabriû

factitium & exitiale intro assumptũ, quod Gal. vocatur Vermeillon. Brab. menie. Ger. Meng.

LVPVLVS.

Sanguinis & bilem & pituitam terget aquosam,
Et iecoris clausas, scit reserare vias.
Cum Cerere hunc coquito, si nec tibi copia Bacchi,
Nec multo penis semine fautus erit.
Tum bibe quo Paphiæ numeros explere proteruæ,
Quo generis possis spem reparare tui.

Lupulus. βρύον. Ital. lupuli. Gallis, houblon. Braban. hoppe. Germa. Hopfen. notus est ceruisiæ coctoribus calidus & siccus ordine secundo: sunt qui Smilacem asperam esse autumẽt, quod illius caules reptando ascendunt, & folia sint subaspera, & spinulis asparagi illius vbi excreuerint sint horriduli, flos illi est ex luteo candicans. Solent turiones lupulorum sicuti & asparagi in cibum expeti, & acetarijs adhiberi, nec immerito, sanguinem enim purgant, ventrem soluunt laxantq;, & obstructionibus, hepar & lienem liberant.

LILIVM CONVALLIVM.

Vindicat à magno dentes commansa dolore,
Et fotu radix sæpe tumore pedes.
Hinc distillata sub diræ tempora pestis,
Et pota, cerebrum, corq; iuuabis aqua.

Lilium conuallium. ἐφήμερον. Gallis, lis sauuage, ou grand muget. Brabantis. Meyblomkens. Depinximus eã in Hemerocallide.

Lilio

Lilio conuallium ſimilis eſt herba Vnifolium. Brabant. Een blaedt, cuius radice vtimur ad peſtem feliciter. Eſt & his plantis alia non diſſimilis Ephemerum Colchicũ dicta, flore croci, candicante, folia illi bulbi, ſed pinguiora, caulis palmo altus, radix è nigra ruffeſcens, lacteo ſucco madens, guſtu dulcis. Bulbus eius mediam habet rimam, qua flos erumpit. Hoc officinarum eſt Hermodactylum, & venenum præſentiſsimum. Nam quo ad podagram vtuntur, & de quo extant Catapotia de Hermodactylis dicta, hodie prorſus ignoratur. Cæterũ cauendum, ne huius Colchici ſpecie deceptus quis, tanquam fungos, quos Gal. champignon. Brabant. camperuoilie. German. pfifferling oder Schwam vocant, in cibum expetat, ne ſtrangulando ſtatim hominem enecet. Quanquam & fungis idem ſit vitium præcipuè carioſis, rancidis, liuidis, & quibus pallidum per ambitum eſt labrum. Vtriſque remedio eſt lac bubulum, auidè epotum.

MAIORANA.

Corrigit incœptum Sampſuci ſuccus hydropem,
Adiuuat vrinæ quos via ſtricta premit.
Per nares tractus purgat cerebrumq́; caputq́;,
Illitus in proprio firmat & oſſa ſinu.
Cogitur in peſſum quò menſes planta reducat,
Quò laxus vuluæ concidat inde tumor.

Maiorana, σάμψυχον, Amaracus aliàs. Italis, Maiorana. Gallis, mariolaine. Braban. margelanie. German. Meiaron. Barbaris, Esbrium. Humilis eſt & fruticoſa ſtirps, candicans & ſuauis odoris, pedem alta, cauliculis tenuibus, in plures alas diuiſis, circa quos folia penè rotunda, incana, floſculi candidi, puſilli. Eſt & ſylueſtris maiorana, quæ per hyemem illæſa in hortis perdurat, cuius caules & folia, item & flores, magnitudine priorem ſuperant. Calefacit vtraq; & ſiccat ordine tertio, & tenuium eſt partium, herba diſtillata aquam fundit omnibus cerebri malis frigidis vtilem.

MARRHVBIVM.

Nil melius ſuccos deducit corpore craſſos,
Vllaq; nec tuſsim ſupprimit herba grauem.
Expellit menſes, fœmellarumq; ſecundas,
Et lateris pungens diſsipat illa malum.
Fortiter hydropem vino decocta cutemq;,
Et iecur à croceo eſt ſoluere bile potens.

Marrhubium, πράσιον, Praſsium officinis. Ital. Marrobio. Gall. du marrubin. Braban. malroue. Germ. Wyſſer andorn, frutex eſt ab radice ramoſus, candicans, ſubhirſutus, quadrangularibus ramis. Folium eſt illi ſubrotundum, hiſpidum, rugoſum, guſtu amarum, flores verticillato ambitu aſperi, candidi. Eſt etiam marrhubii ſpecies Stachis, ſed longior, & virgis ab radice candidioribus. Item & Ballote, officinis

Praſsium

Prasium fœtidum dictum, quæ magis ad Apiastrum accedit, ita vt bene oculatos fallat, nisi fœdo odore se proderet, folijs grandibus, nigris, subhirsutis, caule quadrangulo, quod omnibus marrhubij generibus est commune. Calet & siccat tertio. Decoctio marrhubij ex vino mirabilis est contra hydropem, & icteritiam.

MVSCVS MARIN.

Sanguinis abscessus cohibet, vermesq; potenter
Enecat, hos simili vi quoq; ventre trahit.

Muscus marinus, βρύον θαλάσσιον. Gall. Coralline, Braban. zee moes, Germ. Meer moess, Officinis Corallina. Nascitur in scopulis haud procul à mari, aduersus vermes vnicè expetita.

MALVA.

Maluarum ventrem decoctio soluit, & aufert
Vuluæ duritiem sæpe subacta tuæ.
Ignibus auxilio est sacris, inimica veneno,
Et lapidi renum, vulneribusq; tuis.
Ante cibos coctam semper sorbere suescas,
Nullus & in toto corpore morbus erit.

Malua, μαλάχη. Ital. Malua. Gallis, malue, Brabantis, maluwe. Germanis, Papeln. Duplex est, Syluestris & Hortensis. Rotunda habet folia, subpurpureos flores, exiguis venis distinctos, caulem aliquandoque cubitalem. Porrò flosculi qui cauli adnascuntur in

rotundos caseolos abeunt. Est etiam Rosam referens Malua nostro tempore in hortis frequẽs, Gall. rose doutremer vocata. Brab. winterrosen. German. herbst Rosen. Alcea quoq; incultis agris nascens, radice sublutea, folijs incisis, floribus cãdidis, & ex rubro roseis proueniens, ad maluas attinet. Omnium maluarum genera humidę sunt temperaturæ & mediocris. Decoctum ex lacte aut vino tam foliorum quàm radicum & seminum, mirè facit ad calidã tussim & phrysim. At aqua distillata cõtinuò pota facit ad omnes internos febrium ardores, refrigerat enim, & emollit omnia pulmonis & laterum mala, aluum ducit.

MORVS.

Si viridem in gelido frondem macerabis aceto,
Optima combustis est medicina locis.
Hinc inflammatas tonsillas mitigat, aluum
Sistit, & ad dentes lotio facta valet.
Sed iecoris radix aperire & claustra lienis,
Et ventris vermes expediisse potest.

Morus. μορέα. Ital. Moro & Gelso. Gal. meurier. Braban. morbesyeboom. German. Maulbeer baum. Nota est arbor, cuius fructus manducatus ante cibum facilè descendit, sed post cibum, & se & cibum corrumpit. Mora, matura temperata sunt, immatura, frigida & astringentia. Cortex radicis calefacit & siccat, incidit, abstergit,

ſtergit, aluum purgat. Huic ſimilis eſt Sycomorus apud nos, infrequens tamen.

MEL.

Humores ſumptum mel terget, commouet aluum,
Subuenit anginæ ſæpe relinge tuæ.
Si crudum eſt inflat, ſed coctum tuſsibus obſtat,
Eſca eſt arenti commoda iure ſeni.
Excitat vrinas, oculos caligine mundat,
Et frangit rabidi dira venena canis.

Mel, μέλι. Italis, Mele. Gallis, miel, Brabant. honich. German. Honich, optimum Atticum, dulce odoratum, ſubflauum, quod ob ſequacem lentitiã non facillè abrumpitur, tractumque reſilit in digitos. Deſiccat, calefacit, abſtergit, vtilis cibus ſenibus. Aqua mellis nutrit magis quàm vinũ, vtilis phtyſicis, podagricis & pleuriticis.

MERCVRIALIS.

Subducit bilem ſterili mandenda puellæ,
Aut cui poſt partum nulla ſecunda fluit.
Aut cui prætumida natat & pituita ſub aluo,
Cui febris nimio viſcera ſicca foco.

Mercurialis, λινοζώστις. Italis, Marcorolla. Gallis, mercuriale. Braban. bingelcruyt. Folijs conſtat Ocimi, helxinę cognatis ramulis, duplici geniculorũ nodo cinctis, alarum cauis multis, herba hęc partim in denſos frutices & ſurculo-

ſos inſtar Parietariæ, flore candido, racemulorum quandam imaginem præbente, partim in ſtirpem euadit, ſemine cœruleo, rotundo, paſſim in vinetis & campis luxurians. Eſt & mercurialis in ſyluis naſcens, quæ palmi altitudinem rarò excedit, cauliculo ternis aut quaternis folijs veſtito, Parietariȩ haud diſsimilibus. Loco fructus, quem Maio menſe maturat, bina producit granula, coniunctim in folliculis, quæ cùm præmatura fuerint, rumpũtur. Eſt & tertia mercurialis in vmbroſis locis, ſyluis & vallibus, caule geniculato & nodoſo, molli & tereti. Flores profert luteos & recuruos, quales profert Conſolida regalis, cuius folliculi crepando diſsiliunt: vnde ſemẽ excidit. Hinc German. dicitur Springkraut, Officinis, Noli me tangere, ſicut præcedens Hundtskraut, & canina Braſsica. Calefaciunt & ſiccãt ordine primo, bilemq́; pituitam, & aquam per ventrem leuiter purgant ſine vi vlla, aut corporis nocumento, coquantur cum Aniſo, & admiſceatur ſaccharum, ſic facilè ſenæ Alexandrinæ vicem explebunt.

MANDRAGORA.

Conciliat ſomnum ſuccus de cortice longum,
Vtere cùm membrum quod reſecare voles.
Euocat, at caueas vel drachmæ pondere phlegma,
Per vomitum, hac maior portio, mortis erit.
Olfactu pomum ſolet inſpirare ſoporem,
Et purgant vterum ſemina ſumpta tuum.

Vlceri-

Vlceribus frondes calidis tumidisq; recentes
Phlegmonibus, tacita dexteritate valent.

Mandragora, ἀνθρωπομόρφος Pythagoræ, Circea alijs & Antimalium, Ital. Mandragora. Gallis, mandegloire. Germ. Alraun. Radices habet magnas Raphano nigricanti, & longo similes easq; binas, ternásue inter se conuolutas, nihil habentes cum humana effigie simile vt fingunt Agyrtæ. Duplex est, mas & fœmina: maris folia lata sunt, læuia, candida, humi procumbentia vt Betæ, sine caule. Poma fert satis magna, colore in crocum inclinante prædita, iucũdè olentia, solet prouenire in syluis opacis, Fœmina folijs est angustioribus: mala profert sorbis aut Mespilis quoad magnitudinem similia, Poma frigida sunt & sicca.

MESPILVS.

Mespilus effrenem stomachũ, ventremq; gubernat,
Id quoq; corna suo sunt facere apta loco.
Hæc eadem poterit Gallarum potio sumpta,
Affrictu & nigros conciliare pilos.

Mespilus, μεσπίλη. Ital. Nespole. Gal. neflier. Brab. mispelboom. Ger. Naspelbaum, astringit tantũ eius fructus vti Sorbus, qui Gal. Cormier. Brab. sorbenboom. Ger. sperwerbaum dicitur. Idem facit & Galla. Gallis, noix de galle. Brab. galuot. Ger. Gallapffel.

MELILOTVS.

Quoslibet abscessus mollit, durosq; tumores
Digerit, & firmat sæpe subacta caput.

Phlegmata thoracis decoctio sumpta repurgat
Vesicæ, renum hinc conteriturq́ue lapis.
Hinc oleum podagræ iuncturarumq́ue dolori,
Felici certum fine leuamen habet.

Melilotus, μελίλωτος. Italis, Meliloto. Gall. melilot. Brabantis, malloet. Germanis, Steinklee. Officinis & vulgò Corona regia, & Sertula campana. Melilotus Officinarum lotus est vrbana è trifoliorum genere, è cuius floribus fit præstantissimum, & multa experientia approbatum oleum in totius corporis, & præcipuè iuncturarum dolores & callos veteres. Hoc oleum Arabes vocant Andocaca sicuti & herbam. Cæterùm vera melilotus nascitur in regno Neapolitano, & vt ait Dioscorides in Campania, colore in luteum languescente, caule rotundo, odore infirmo, &c. Temperatior est nostra melilotus, digerit, emollit, maturat, dolores sedat. Proinde tam bibita ex vino, quàm foris apposita omnia interna apostemata emollit, & dolores sedat.

MORSVS DIABOLI.

Illine crustosus si te carbunculus vrit,
Et bibe si in læso pectore sanguis erit.
Si internus phlegmon vitalia viscera pascit,
Pestis ab excelsis si venit atra locis.

Morsus diaboli, Succisa quibusdam, Gallis, mors de diable, Brabantis, duyuels beet, aliud nomen

nomen non habet, Scabiosæ ſimilima eſt, niſi quòd folia huius non ſint diſſecta vt illius, ſed plantaginis herbam referentia, oblongiora tamen, linguæ non diſsimilia, modicè hirſuta, colore nigricantia. Iulio menſe in caulem nudum exit rotundum, in cuius faſtigio purpureus flos emicat, rarò candidus, ſed ſemper ſcabioſæ ſimilis: radix ſuccisa eſt.

MENTHA.

Diſsipat abſceſſus, lumbricos pota rotundos
Enecat, & Paphiæ eſt herba cupita deæ.
Succus ſingultum, vomitum, choleramq; coercet,
Quæ lacte & mammas vberiore tument.
Digerit, & colicos ſedat laterisq; dolores,
Et mixto exhilarat triſtia corda mero.

Mentha, μίνθη, Gal. ment, Brab. cruyſmunt, Germanis, Müntz. Eſt ſatiua, eſt & ſylueſtris. Vtraque in plures diuiditur ſpecies, ſed quæ omnes odore ſe produnt. Notæ igitur hodie & viribus reſpondent, calentque tertio penè, ſiccant ſecundo ordine cum humiditate ſemicocta: vnde & Venerem excitant, commune hoc habentes cum omnibus quæ in ſua humiditate flatuoſum quid obtinent. Mentaſtrum, ſylueſtris mentha eſt, criſpa & hirſuta coloris cinerei, gaudet paluſtribus locis, & ad fõtium ſcaturigines naſcitur. Aqua menthæ diſtillatæ concoctionem adiuuat, ſingultus, faſti-

dia & nauſeas inhibet, choleramque ſedat, Venerem ſtimulat, membra omnia confortat, odor quoque cerebrum conſolatur.

MVSCVS ODOR.

Cùm ſe de propria matrix peſſundabit aluo,
Hanc muſci attractus clàm reuocabit odor.
Vitales firmat reſoluto in corpore vires,
Illitus hoc Venerem ſæpe priapus amat.

Muſcus odoratus. Ital. Muſtio. Gallis, muſc. Braban. muskiliat. German. Byſem. Nota res eſt, & in vmbilico cuiuſdam animalis Gazelle dicti naſcitur. Dum enim in Venerem agitur, furoris vi illi vmbilicus intumeſcit, fitque vomica, congeſto inibi ſanguine, quam tãdem dum humi voluitur crebra volutatione exprimit. Hæc ſanies ſucceſſu temporis olet ſuauiſſimè, quam venatores vtriculis aſſeruant animalium, quæ antea captauerant. Eſt & Zibetum muſci ſpecies, Gallis Ciuette dictum, odoratiſsima ſanies, quæ inter Catti cuiuſdam teſticulos concreſcit, vtrumque calet & ſiccat tertio. Sed moſcus ille arborum, βρύον Græcis, Officinis Vlnea dicta, aſtringit tantùm, ſed ſi Auicennæ credimus, aperit quoque, emollit, reſoluit.

MALVM PVNIC.

Compeſcit vomitum ſtomachi, ventriſq; fluores,
Atq; ſitim, cortex, vlcera ſicca facit.

Sumito

Sumito radicis decoctum quò tibi vermis
Latior è ventre nil nociturus eat.

Malum punicum. ῥοιά, malum Granatum aliâs. Italis, Malagrano. Gallis, Pomme de granade. Brabant. granaet appel. Cortex malicorium vocatur seu ζίδιον, flos Balaustium, Granata dulcia calent & humectant temperatè, acida refrigerant, acini astringunt.

MEVM.

Cùm rubicunda grauat renes, cùm pungit arena,
Decocti cyathum terq́ue quaterq́ue cape.
Dissoluit flatus stomachi, mensesq́ue morantes,
Vrinæ stimulos addit & herba tuæ.

Meum, μεῖον, Meu officinis, aut Anethum tortuosum, German. Barwurtz, Hertzwurtz. Anethi est folijs, & caule binûm cubitorum, radicibus sparsis in obliquum, longis, odoratis, in Hispania frequens. Quæ in officinis prostant Mei radices veræ non sunt, sed cuiusdam syluestris Petroselini. Earum loco poterimus vti Been vnguentariorum. Calet & siccat secundo.

MILIVM.

Tormina si fuerit tostum saccoq́ue reclusum,
Et lateri appositum sedat acerba tuo.
Alternis semen cum vino sæpius haustum,
In pueris lapidem comminuisse solet.

Milium, κέγχρος. Italis, Miglio. Gallis, millet. Brabant. ghers. Germanis, Hirss. Caule est lanuginoso, geniculis pluribus interstincto, florem fert purpureum, &c. Minus cæteris frugibus alit. Aliud est Milium Solis Officinarum, maius & minus, Græcis λιθόσπερμον dictum, Gallis, Gremil. Brabantis, perlen cruyt, German. Meerhirss. Herba est folijs longis, ramulis surculosis, caule terete & recto. Inter surculos & folia granula dura, læuia, candida, Margaritæ instar prosiliunt, quæ mense Iulio leguntur. Nascitur incultis agris. Semen in puluerem redigitur, & ex vino datur ad frangendum calculum, & grumos sanguinis in vesica dissoluendos.

MILLEFOLIVM.

Constringit menses, erumpentemq́ cruorem,
Vtilis vlceribus subdita planta nouis.
Inde acido succus fertur potatus aceto,
Mirando vrinas accelerare modo.

Mille folium, στρατιώτης. Gallis, millefueille. Brabantis, gerwe. Germanis, Garb, tausendtblat. Sunt qui confundant Achilleam cum hac Stratiote, cùm illa hodie sit incognita, hæc millefoliumq́ nostrum sit vulgare: illa enim in paludibus, hæc circa semitas & asperis agris nascitur. Cæterùm neque est Stratiotes Myriophillum, hodie ignotum quoque, quòd

quòd huic ſit caulis tener, illi lignoſus, mille-folium primo ortu folia minutiſsimis inciſu-ris diuiſa profert, guſtu ſubamara. Iunio men-ſe in caulem aſſurgit rotundum, concauum, plurimis ſubaſperis folijs veſtitum. Flores in vmbellis radiatos profert, alios candidos, a-lios ſubalbidos: nonnullis diluti ruboris odo-ratos. Radix illi nigra eſt, feruens & acris: pro-inde contrarijs facultatibus & mirandis, her-ba pręditа eſt. Nam tuſum folium eius & vul-neri appoſitum aſtringit, rurſus naribus indi-tum ſanguinem elicit.

MYRRHA.

Ad veterem tuſsim, laterum, ventriſq; dolores,
Febris & horrores myrrha reſumpta valet.
Labentes firmat crines & vulnera ſarcit,
Non ſinit in cineres corpus abire ſuos.
Abſtergit, ſi quæ eſt oculorum albugo ſuborta,
Tollitur, hinc ſtomachi noxius humor abit.

Myrrha, σμύρνα, Gallis, myrre. Lachryma eſt arboris, quæ in India naſcitur. Noſtra vix eſt legitima, cùm neq; viridis ſit, neq; odorata. Vera & natiua, putatur à quibuſdam Benzoi eſſe Officinarum. Porrò myrrha Stacte non eſt niſi expreſſa recentis myrrhæ pinguedo, quæ aliàs Storax liquidus vocatur. Cortex ve-rò fuſcus & aridus, qui poſt expreſſam myr-rham remanet, Storax rubeus dicitur. Myrrhæ vicem ſupplet Galeno Calamus aromaticus.

Constantino Amygdalæ amaræ eodem pondere.

MYRRHIS.

Huius ab occulta præseruat corpora peste,
Tardaq; per venas menstrua succus agit.
Vlcera pulmonum sanat, tum pectore crassos
Educit succos, atq; venena necat.

Myrrhis, μυῤῥὶς, vulgò Cicutaria, Gall. Persin dasne. Brab. Wilde kernel. Et syluestre chęrefolium: magnam habet affinitatem cum Cicuta, proinde cauendum, ne hac pro illa vtamur. Siquidem mortifera est cicuta & frigida, myrrhis contrà calida & sicca secundo cum caliditate partium. Nascitur inter arbusta.

MVMIA.

Ructus, singultus, auris capitisq; dolores,
Et mira flatus dexteritate leuat.
Pulmonum vitijs, intestiniq; cruentis
Vlceribus, renum sit medicina tuis.

Mumia, Gall. momie. Duplex est, vna factitia, altera natiua. Hæc Diosc. πιττάσφαλτος est, nimirũ bituminis genus, quod picem & bitumẽ redolet. Altera, nimirũ factitia duplex est, vna qua diuitum corpora mortua condiri solent, constans ex myrrha, aloe, balsamo, & sanie, quæ è corporibus illis resudat: altera ignauior, quæ in officinis prostat, constans bitumine interdum adiecta pice, calet & siccat.

MYRI-

MYRICA.

Turgentem frondes, minuunt reprimuntq́ lienem,
Seminis ad fluxus, femina ventris habe.
Illita demulcet dentesq; oculosq; dolentes,
Et lepræ maculas dißipat herba tuæ.

Myrica, μυρίκη, Tamarix officinis aut Tamariscus. Ital. Tamarisso. Gall. tamaris de la bruyere. Brab. tamarischboom. Ger. Birtzenbertz, frutex est lignosus (nam est etiam arbor quę fructum gerit lignosum vt Galla) ramis ex herbaceo fuluoq; colore variegatis, folio magis tenui Erica cinereo & ex pallido viridi, flore muscoso & purpurante. Nascitur ad ripas fluuiorum, cortex in vino cocta, siue aliquot eius partes, incidit, abstergit, siccat, astringit, melancholiam pellit, & renum, pulmonis, lienis, obstructiones potenter aperit. Et sunt qui illius radicē pari effectu decoqūt, quo lignum sanctum Guaiacum vulgò dictum, vnicum & certum morbi Neapolitani remedium. Myricę similis est Erica. Gall. Bruyere. Brab. heyden, serpentum morsibus vtilis, & imbecillitati oculorū: Serapio dicit se vidisse duos leprosos curatos cū decocto huius ex passulis, propter apostema splenis & oppilationem eius, qua soluta sanguine mundificato à melancholia sanati sunt.

MYROBALANI.

Confortant stomachū, iecur, humores q́ repurgant,
Commendantq́ hilari membra colore senum.

Nigra trahunt bilem exustam, sed cætera phlegma
Et bilem flauam, his vtere, sanus eris.
Nam neq; sub cano siccescent tempora crine,
Sub lachrymis oculi deficientq; suis.
Lassa vel incedent motu tua crura tremente,
Occludetq; cibo, tussis anhela viam.
Sed tibi cum senio pariter rediuiua iuuentus
Concedet cytharæ fila canora suæ.
Mystica quò lenta consumptus carmina morte,
Possis in æternos vel resonare dies.

m . va bo l a . . . Mirobalani, hodie nobis notissimi, Græcis ignoti olim, fructus sunt quinque diuersarum arborum, qui in quinque species diuiduntur. Sunt enim flaui siue lutei aut Citrini dicti, qui flauam bilem purgant. Sunt Chebuli seu cepuli, officinis Kebuli, qui conditi frequenter Antuerpiam inuehuntur, & purgant pituitam. Tertiò sunt Indi siue nigri. Quartò Empelitici aut Emblici. Quintò & postremò Beleetzici, Bellerici seu Bellitrici officinis dicti. Frigidi omnes & sicci, & astringentes. Dantur ex puluere aut decocto ad purgandos omnes humores, & præcipuè melancholicos, & faciunt mirificè ad conseruandam iuuentutem, si quis eis frequenter vtatur.

MYRTHVS.

Ebrius epoto poterit vix esse Lyæo,
Huius qui cautus seminis hausit opem.

Exic-

Exiccat stomachum, luxatos firmat & artus,
Quosq́; vides capitis vix cecidisse pilos.
Sudores reprimit, ventris quoq; flumina, sacris
Ignibus, hinc capitis surfuribusq́; valet
Candentes nigro cupis esse colore capillos?
Decocto, canum sæpe lauato caput.
Siccat & erosi, bibe, vulnera fœda pudendi,
Siue ore expueris sanguinolenta iuuat.

Myrthus. μυρσίνη. Ital. mortella. Gallis, mirthus. Arbuscula nota est è diuersis composita substantijs, vincentem in se habens qualitatem frigidam & terrestrem, quinetiam subtilium est partium calefaciens & potenter desiccans. Ex fructu huius, optimus fit Syrupus ad tussim, pulmonisq; vitia & exulcerationem: quanquam alij conficiant eum ex fructu Myrtillorum quem Germani Heidelbeer vocant. Nam Myrtillus nascitur in syluis & dumetis. Frutex virgis tenuissimis, quadratis, viridibus vti genista, folijs speciosis, herbaceis solidis, buxi similib9 per omnia: inter folia teretes Maio mense enascuntur flosculi, singuli singulis pediculis dependentes ex puniceo rosei coloris, forma sua campanulam referentes, ac in medio rufum quasi pistillum aut stamen obtinentes, quod in baccam rotundam & rubescentem abit. Hæc vbi maturatur ex cœsio nigricat, colore baccas iuniperi æmulans, gustu dulcis & suauis, pueris gratissima. Est & grandior Myrtillus huic, quod ad baccas & flores similis, sed

caules illi ſunt rotundi, proceri. Fructus quoq; maior eſt, qui priuſquam maturetur ex viridi albicat, poſtea rubeſcit, deinde ex cœſio niger apparet: refrigerant hi fructus veluti fructus Rubi Idei.

NASTVRTIVM.

Prouocat hæc menſes, Venerem, bilemq́; calentem,
Illine, & iſchiadem planta leuare poteſt.
Suppurat, rumpit, tum magna mole lienem
Liberat, & valido concremat ore cutem,
Infixumq́; trahit læſo de corpore telum,
Phlegmaq́; pulmonis, pectoris aſthma tui.

Naſturtium. κάρδαμον. Ital. naſtorci. Gal. creſſon alenois. Brab. kerſſe. Germ. Kreſsich. Tria ſunt genera naſturtij, ſatiuum, aquaticum, & pratenſe. Naſturtium hortenſe planta eſt notiſſima, quæ ſemine ſata prorumpit citiſsimè, colore viridis, folio inciſuris multis, & petroſelino longè minoribus diſſecto. Coliculis aſſurgit cubitalibus ac rotundis, floſculis candidis, ſemine luteo. Alterum quod aquaticum vocãt, hyeme acetarijs adijcitur, & in fontibus aquæ ſupernatat, maioribus folijs & magis laciniatis; pro radice fibras habet capillatas, floſculos profert candidos. Tertium quod agreſte vocatur ſylueſtre naſturtij genus eſt, in quod ferè aquaticum inundationibus ortis degenerat. Sunt qui lepidium naſturtij genus eſſe credunt, Germanis pfefferkraut dictum, nec malè: frutex enim

enim eſt quem Piperitim aliàs vocāt, caule tereti & concauo, folio lato, pingui, viridi, flore lacteo & exiguo, guſtu acri, raphano ſylueſtri ferè per omnia ſimilis, vnde etiam optima conficitur ſalgama.

NYMPHÆA.

Extinguit radix genitalia ſemina potu,
Exterit & maculas, vlceribuſq; valet.
Proinde Venus ſomno ſi inuiſa recurſat in alto,
Omni decoctum bis tibi ſume die.
Allicit ad requiem, matricis flumina ſiſtit,
Et ſtomachi & ventris tormina dira tui.
Quod ſi deciduo fœdantur tempora crine,
Inde nouos poteris reſtituiſſe pilos.

Nymphęa, νύμφαια. Officinis Nenuphar. Ital. nenuphari. Gall. nenuphar. Braban. plompen. German. ſeeblum. Duum eſt generum, vnum flore candido, alterum luteo, vtrunque in piſcinis, aquis ſtagnantibus, & reſidibus naſcitur. Candida nymphęa frequentior eſt: ea Iunio menſe flore prodit inſtar lilij candidi, aut roſæ, multiplici foliorum ſtipatum contexto. E medio florum crocei quid elucet. Antequam verò in florem erumpat, oblonga cernuntur capitula amygdalis ſimilia folijs contecta ex viridi purpuraſcentibus, è quibus flos tandem erumpit nullius odoris. Cumque folia floris deciderint, caput papauerinum aut malum rotundum ſemine nigro re-

fertum protuberat. Folia habet lata, firma & ſolida: radix magna, nodoſa, nigra foris, intus cādida: refrigerat & ſiccat. Aqua nymphææ diſtillata tuto datur ardentibus febribus, ecticæ & morbo pleuritico laborantibus, ſiccę quoq; tuſſi, ſiti maximę, deniq; inflammationibus lienis & hepatis: ſed Venerem coercet.

NAPHTA.

Attrahit, abſumit quæuis nocumenta podagræ,
Iſchiadem ſoluit perline nocte grauem.
Sumito quo lapidem, veterem quo tollere tuſsim,
Aſthmaq́ꝫ thoracis frigora cuncta queat.
Suffitu ſolita eſt lapſus fulcire cadentis
Matricis, faſtus ſemper odore premit.

Naphta. περιήθημα τῆς ἀσφάλτου. colamen eſt bituminis (vt ait Dioſcorides) quidam Petroleum ſeu Petreleum vocant, πετρελάσον Myrepſus. Ital. olio petrolio. Braban. petrolie. Ger. petrol. Calefacit & ſiccat ordine quarto, excoriat tamē intro aſſumptum, niſi miſceatur cum frigidis & humidis.

NVX MVSCHATA.

Confortat ſtomachum, lapidemq; è renibus effert,
Quodq́ꝫ tremit ſumas, cor ſtabilire poteſt.
Liberat & flatu ventrem, infartuq́ꝫ lienem,
Et ſcit ſecretis auxilio eſſe malis.
Inde ſub aduerſa dudum valetudine preſsus,
Naturæ veniet qui fuit ante calor.

Nux moſchata, vnguentaria vel odorata, aliâs

liâs etiam & Indica. καρύον μυρίςικον. Ital. noce moſcata. Gal. noix muſcade. Brab. noote moſcaet. German. Muſcatnuſs. Fructus eſt arboris cuiuſdam in India, cuius pellicula ſub exteriori cortice, Arabibus Mœcis appellatur. Brab. folie. German. Muſcaten blůmen. Porrò nux illa Indica quæ oleum moſchelinum ingreditur, fructus eſt arboris Palmæ effigie, qui manducatus Venerem excitat & ſtrigoſas mulieres impinguat, calidus ſecundo, humidus primo.

NERIVM.

Eſt homini & pecudi exitium ſi ſumere temptent,
At foris abſceſſus digeris inde tuos.

Nerium. νήριον. Rhododaphne & rhododendron alias. Oleander officinis. Gallis, roſagine. Brab. Oleanderboom. Planta eſt viſu admodum grata, folia habens & fructus amygdali, flores roſæ. Præſens eſt remedium homini icto à ſerpente (inquit Dioſcorides) at Galenus dicit eſſe venenum non ſolum homini ſi intro aſſumatur, ſed etiam & brutis.

NARCISSVS.

Illita præciſis radix eſt commoda neruis,
Corporis & maculis, vlceribusq́ue tui.
Oſsibus emotis, iuncturarumq́ue dolori,
Hinc vomitu regeres phlegmata lenta graui.
Rumpit & abſceſſus, infixaq́ue tela reflectit,
Sordidaq́ue extergens vulnera, carne tegit.

Narciſſus. ναρκίσσος. Bulbus vomitorius Pli-

nio, quoniam vomitum etiam excitat. Ital. narcisso. Gal. narcisse. Brab. spaensche ieunettekens. Duplex tantùm est Dioscoridi, cùm hodie plures reperiantur. Vtriusq; flos est albus, firmis folijs radiatim distinctus, in quorũ medio lucens apparet circulus, folia habet porri tenuia, angusta, caulem vacuũ, radicem albam, bulbosam. Ostenditur hodie etiam & narcissus cœruleus, item & luteus quem Germani Blawe, aut Gäl hornung blůmen appellant. Narcissus albus calefacit & siccat: nec facilè intro assumitur nisi ad vomitum: foris vtilior est.

NVX IVGLANS.

Suscitat ad vomitum, tussim, capitisq; dolorem,
Sed viridis stomacho est nux mage grata tuo.
Cum ruta & caricis obsistit sumpta veneno,
Soluit & abscessus inguinis ista tui.
Quod si Vulcani miro molimine noris,
Hinc quoq; stillatam ducere doctus aquam.
Illa tibi prauos ducet de corpore succos,
Purior vt redeat sanguinis aura tui.
Immedicabilibus hinc & succurrere morbis,
Hinc tumidi poteris soluere ventris aquam.
Illinc, sic sordes, fœdum miraberis vlcus
Criniti dextram sic subijsse Dei.
Sic fœdam capitis scabiem purgarier, & sic
Commoda de vili tanta venire nuce.

Nux iuglans, basilica aut regia. *κάρυον βασιλικόν.* Gal. noix. Bra. oker note. Germa. Welsch nuss.

nuſs. Ex his nucib. fit theriaca aduerſus omne venenum, hoc pacto. R. duas nuces ſiccas, ficus totidem, rutæ folia viginti, ſimul terâtur, addito ſalis grano: hoc qui manè ſumet, nullum illi eo die venenum, nullus peſtilens aer nocebit. Porró ſunt & nuces auellanæ, Ponticæ aliàs, Præneſtinæ aut Heracleoticæ dictæ. Gall. noiſettes de iardin. Bra. haſe note. Ger. Haſelnuſs. Harum quædam ſylueſtres, quædá domeſticæ. rurſus inter eas quædam rotundæ, quædá longæ cęteris præſtantiores: arbor à Virgilio vocatur Corylus. Sicciores ſunt auellanæ ipſis iuglandibus, hæ tamen ad vſum medicum magis expetitæ: vtraq; difficulter digeritur, & ſtomacho inutilis eſt. Ex iuglandibus nucibus viridibus adhuc & mollibus diſtillatur aqua mirandi effectus ad multos morbos.

NARDVS.

Si languet tibi cor Nardum coniunge Lyæo,
Et referes vitæ priſtina iura tuæ
Ad ſtomachi flatus datur, vrinæq; labores,
Ad vitium fellis, ſubcroceamq; cutem,
Fœdaq; compeſcit viroſæ flumina vuluæ,
Ducit & è cerebro rheumata dira tuo.

Nardus, νάρδος. Spicanardi officinis. Ital. ſpica nardi. Gal. aſpic d'outremer. Bra. ſpike. German. Wolrichend ſpiken nardi. Hodie Indica ad nos non adfertur, ſed Syriaca ex Alexandria, largam gerés comá, flauo colore, odorato,

ſpica breui,amara,linguam ſiccante. Quocirca ſpicanardi officinarũ non eius ſummitas ſed radix eſt.Iam quę illis Romana ſpica vocatur,eſt Celtica nardus quæ aliàs Saliunca falſo putatur, ſi quibuſdam credimus. Ea interim vtendum eſt pro Malabathro Arabum,ſiue folio Indo quo caremus:calefacit & ſiccat ſecundo.

OLEA.

Extinguit ſacros ignes,fœda vlcera purgat,
Hinc calidis ſuccus fluxibus aptus erit.
Arduus eſt ſtomacho fructus,ſed pellit Amurca,
Illinc,tum podagrã,tum quoq; hydropis aquam
Aſt oleum vitæ producit ſtamina ſumptum,
Sic lacheſi longus ſuppetet inde labor.

Oleum ſiue Olea. nota ſunt. Ital.oliua. Gal. huyle. Brab.olie. Fructus immaturus frigidus eſt & ſiccus:maturus,calidus & humidus: folia aſtringunt & ſiccant. Idem de immaturo oleo dicendum quod de fructu oliuæ. Cęterùm, cùm ſimpliciter de oleo loquimur,illud intelligimus quòd ex ſatiuis fit oliuis. Omphacinum oleum ex immaturis exprimitur. Porrò tenuiſſimũ eſt oleum (vt id obiter dicamus) pinguiſſimum, & excrementorum expers. Itaq; nihil eo ad vitæ longitudinem præſtantius:calorem enim naturalem exſuſcitat,ipſumque minimè fatigat, neq; vias obſtruit, aut excrementa gignit, ſed genita per aluũ expellit:hæc doctiſſimus Cardanus. Amurca eſt expreſſę oliuæ recrementum.

ORI-

ORIGANVM.

Emendat gelidi potum nocumenta veneni,
Et ventrem tumido ſemper hydrope leuat.
Submouet & tuſſes, œdemata, iunge polentam,
Diſcutit vt nullo ſtet pituita loco.
Hanc quoq; contuſis, atq; oſsibus illine fractis,
Fœdatis crocea corporibusq; cute.

Originum. ὀρίγανον. Ital. Origano. Gal. mariolaine baſtarde. Bra. grout magelaine. Germ. Wolgemut. Eſt etiam quoddam vulgare Origanum quod Ger. Doſten vocant, gratiſsimi & ſuauiſsimi odoris planta, ex vna radice plures eosq; aliquando bicubitales emittens cauliculos, qui antequam ſe in altum erigant folijs ſylueſtrem maioranam ita imitantibus veſtiũtur, vt diſcerni vix poſsint illa duo genera. Quod ad florẽ attinet, tria ſunt Origani genera, quorũ aliud phœniceũ, aliud ex cãdido rubicãtem, poſtremũ verò cãdidũ florẽ gerit, omnibus verò lanuginoſus eſt caulis & purpureus. Montibus & apricis gaudet. Eſt etiam Anglis peculiare ſuũ origanũ, quo vti poſſumus in aliorum inopia, id quidam Marum eſſe putant. Ad Origanum pertinet calamẽtum montanum officinis dictum Planta dodrantalis, fruticoſa, cauliculos ferẽs quadrãgulos, lanuginoſos, & purpureos: hos ambiunt floſculi è cœruleo purpuraſcẽtes, folia ſub ſingulis floſculorũ rotulis vt plurimũ bina, leuiter ſerrata: quidã vocãt ſyl-

uestre Pulegium, alij sylueſtre hyſſopũ: gaudet locis editis & apricis, & agris frumentaceis qui in alto ſiti ſunt: guſtu acris eſt cũ amaritudine.

OVVM.

Ouum cum cisto decoctum ſupprimit aluum,
Liberat & quouis phlegmone membra loco.
Subuenit ambuſtis, fluxuſq; reuerberat acres,
Sume, fluet rauco vox tibi clara magis.
Nutrit, & accenſo per venas ſuſcitat igne,
Ad placidos Veneris corpora pigra iocos.

Ouum. ὠόν. Ital. vouo. Gal. œuf. Br. Ey. Gallinarũ oua ſapore & guſtu omnibus alijs præſtant, ab his Otidum & Phaſianorum: ſed aquatilium oua craſſos ſuccos gignunt, & malè digeruntur. Fit ex ouis oleum vtile ad omnes dolores iuncturarum, ſcabiem, ambuſta, & contuſas cerebri membranas.

OCIMASTRVM.

Si tibi fœdatum fuerit prurigine corpus,
Si exedit ſcabies, oſſa cutemq; ſimul,
Hinc face de ſucco vnguentum mirabile preſſo,
Sic voto veniet grata medela tuo.

Ocimaſtrum. Planta eſt Germanis ferè ſolis nota, & vocata Braunwurtz. Dioſcoridi ὠκιμοειδὲς forſitan appellatur: & in duo genera diuiditur, folijs, caule, & odore cõſimilia, quanquã minus ocimaſtrum folia habeat planè purpurea: contrà verò maius caule & folijs viridibus præditum eſt ad proceritatem viri ſæpe aſ-
furgens:

ſurgens: naſcitur iſtud in foſsis, lacubus, & humectis pratis: alterum humidis ſiccisq́; perinde gaudet locis ad ſepes & antiquos muros prouenicns. Radix vtriuſque candida, nodoſa, teſticulata inſtar Satyrij: caules in minori purpurei, in maiori virides & anguloſi: folia vtriuſq; Baſilicæ ſimilia: modicum ſerrata, flores in vertice caulium colore purpureo emicant, qui tandem in rotunda capitula (in quibus ſemen) abeunt: odorem habent grauem, guſtum amarum. Ex Ocimaſtro præſtans cõficitur vnguentum ad ſcabiem, quo ſcabies lepræ ſimillimę ſanatas viderunt nonnulli: ſic fit: Maio menſe ſume herbã cum radice, & contunde, tunc expreſsi ſucci cæræ & olei æqua portione accipe, & fac vnguentũ ad ignem iuxta artem & illine. Aqua ex herba diſtillata faciei ruborẽ collutu exterit, etiã in valdè deformibus: eadẽ nec non Ocimaſtri puluis ſanat Mariſcas teſte expẽtia.

ONOBRYCHIS.

Vrinam ſtimulat, ſchyrroſq́; ſubacta remollit,
Aptaq́; ſudori corpora ſicca facit.

Onobrychis. ὀνοβρύχις. Gallis, recannement d'aſne. Brab. Vrowen ſpiegel. calefacit & ſiccat cum tenuitate partium.

OPHIOGLOSSVM.

Vulnera purgatis perſanat ſordibus, altos
Concoquit abſceſſus herba ſubacta tuos.
Ad magnam febris rabiem, iecoriſq́; calorem
Decocti ſumas pocula multa libens.

Ophiogloſſum. ὀφιόγλωσσον. Serpentina, Lingulaca, Plinio: officinis, Lácea Chriſti. Ital. Serpentina. Gal. langue de ſerpent. Brab. ons heeren ſpeercruyt. Germ. Naterzüinglin. Pinguis herbula hęc digiti altitudinem attingit: folium vnicum obtinet, à cuius ſinu inferiore pediculus exit, cui lingula acuta herbacei coloris inſidet, quæ ſerpentinæ linguę ſimilitudinem refert: folium eius quoad craſsitiem, folium fabæ refert: naſcitur Maio menſe in pratis humidis.

ONYX.

Matricis nihil eſt quod poßit fœmina morbis
Commodius vuluæ ſubſtituiſſe ſuæ.
Viſceribus reddit vires roburq; ſolutis,
Et ventrem potu, mollit odorus Onyx.

Onyx. ὄνυξ. vnguis odoratus. Officinis blattæ Bizantiæ. Conchilij eſt tegumentum, ſimile quo purpura integitur, quod in Nardiferis Indiæ paludibus inuenitur. Blattæ officinarum non ſunt legitimæ, quod vſtæ ingratum odorem ſpirent, at olim ijs conficiebant thymiamata ob odoris præſtantiam.

PÆONIA.

A partu mulier ſi non purgata fuiſſet,
Drachmæ illi radix pondere ſicca datur.
Decoctum ſtomacho pus pellit, ſemina manſa,
In pueris lapidem frangere nigra ſolent.
Tum radix morbum ſoluit geſtata caducum,
Hac ſumpta qui te ſtrangulat humor abit.

Es

Et qui vel croceo fœdauit membra colore,
Quiq; parat ventri tormina dira tuo.

Pæonia. παιωνία. Ital. peonia. Gall. piuoine. Brab. peonie. Ger. Gichwurtz. Herba caſta: & Arabibus Neeremiſch. Duo eius apud nos ſunt genera, adeo tamen conſimilia vt vix diſcerni poſsint: vtraq; radicem habet longam, toroſam, nodis glandi ſimilibus & crebris diſtinctã: verno tẽpore accedẽte, quæq; radicula primariæ agnata rubẽtes ſuos aſparagos emittit, qui Aprili mẽſe in caules attollũtur, eosq; cubi tales, folia paulatim in viridẽ, tandẽ in cineraceũ colorẽ ſuccedũt: forma iuglãdi aut veratri nigri ſimilia. In faſtigijs cauliũ capitula rotũda inſtar exigui mali perſici protuberãt, quæ poſtea aperiũtur, & inde roſa rubra ſatis lata ſtaminibus luteis conſpicitur: hic flos vbi poſt triduũ quatriduũue folia ſua excuſſerit, in medio ſui tres aut quatuor hirtos craſsosq; folliculos oſtẽdit, q̃ ad Auguſtũ mẽſem fatiſcũt, conſpiciturq; intus ſemen purpureũ magnitudine piſi oblongũ, intus candidũ. Elegantior verò ſimul & odoratior ea eſt quæ primo exortu herbã, & caulẽ, florẽq; admodum rubẽtes fundit: & hæc quidem de Pæonia fœmina. Nunc de maſcula dicamus: Hæc radice eſt cãdida quæ in altiſsimis montibus magno negotio effoditur, folijs recenti iuglandi, vel potius Glycyrrhizæ ſeu fraxino ſimilibus: Et hæc eſt quæ ab Agyrtis pro Dictamno venditur, & quæ ita intra ſciſſu-

ras ſaxorum ſe abdit. Forſitan hæc eſt quæ appenſa ad collum efficacius morbum comitialem excutit; vtriq; alioqui pares vires. Aqua è floribus & radicibus diſtillata, menſura duum aut trium cochlearium pota præſtat ad omnia ea ad quæ ſimplex decoctio.

POLYGONATVM.

Illine vulneribus prodeſt faciemq; puellæ
Abſterſis næuis planta nitere facit.

Polygonatum. πολυγόνατον. Gallis, ſignet de Salomon. Brab. Solomõs ſegel. Germ. Weiſzwurtz. Sigillum Salomonis, officinis. Diuiditur in latifolium & tenuifolium: ab alba radice vtraq; ſic vocatur, quod & geniculata quoque ſit & nodoſa, & intra humum hinc inde repen do ſe diffundit, guſtu primo dulcedinem pręſe fert, deinceps acrimoniam & feruorem vti gingiber manifeſtat. Aprili menſe aſparagos ſuos emittit, qui in teretes caules aſſurgunt, vtraque ex parte latis, longis, & viridibus folijs veſtiti. Inter folia candidi, longi, & recti floſculi apparent, Auguſto menſe flos in acinos nigricantes deſinit. Sunt qui probabiliter putent eſſe Laureolam: & verum Polygonatum dicunt eá eſſe quę Germanis vocatur Lydweich: intro tamen non aſſumenda, inquit Galenus.

PAPAVER.

Decoctum iſchiadem purgat, iecoris quoq; morbos
Radix perſanat, vulneribusq; valet.

Es

Et quos vrinæ noctesq́; diesq́; fatigat
Morbus, arenosæ colluuiesq́;, iuuat.

Papauer corniculatum. μήκων κεράτιτις. Ital. papauero. Gallis, pauot cornu. Brabantis, geel huel. Naſcitur inter ſegetes: folia habens candida, hirſuta Verbaſco ſimilia, in ambitu ſerrata, florem pallidum, ſemen papaueris, radicem nigram. Iſtud papaueris genus copioſè in Anglia prouenit corniculis (vt aiunt) cubitalis longitudinis, aliudq́; rubeos, aliud verò roſeos colores gignit. Radicis eſt vſus, licet ſemen acetabuli menſura ex Mulſa potum aluum leniter purget.

PASTINACA.

His gaudet Cytherea cibis, ſtimulisq́; mouetur,
Menſtrua vel ventris ſemine pellis aquam.
Ad renum lapidem radix durumq́; lienem,
Ad tuſsim, peſtem, phlegma, venena, valet.

Paſtinaca. σταφυλῖνος. Gall. paſtenage. Braban. paſtnachen. Flos illi luteus eſt, alioqui Brancę vrſinæ tota planta quàm ſimillima. cui flos candidus, differt & in hoc, quod folia Paſtinacæ non ſunt adeò hirſuta, & non perinde nigricant atque vrſinæ brancæ: alioqui ſi formam ſtriati caulis, lati ſeminis, prolixæ radicis & inciſorum foliorum ſpectes, nihil non affine in vtraque reperies. Paſtinaca tamen in hortis plantatur, branca vrſina ſponte ſua prouenit. Sub hac domeſtica Paſtinaca

comprehendimus carotas quas vocant, vtrasq; alij ad Elaphoboscum referunt. Est etiam Pastinaca syluestris, eadem cum hortensi, nisi quòd per omnia minor sit, quidam volunt esse Barbarorum Bauciam, radix pastinacæ dulcem habet saporem & nutrit, sed immoderatè sumpta prauum sanguinem gignit.

PANIS CVCVLI.

Debilibus stomacho, calidisq; mederier aphtis,
Hinc febrem semper perdomuisse potes.
Atq; ignes iecoris potu schyrrosq; lienis,
Antidotum succus tempore pestis erit.

Panis cuculi. ὀξύς, seu ὀξυτρίφυλλον. Trifolium acetosum: officinis Alleluia. Gal. pain de coco. Germ. Büchamffer, Saurklee. Folia habet tripartito distincta, integra: eaq; singula peculiari pediculo suo insident numerosa & frequentia, inter folia flores emicant candidi: in syluis frequens. Huc transferri potest Oxalis siue acetosa, rumicis species. Gal. Surelle. Germ. Sawrampffer vocata. pares enim vires habent, quod eorum aqua distillata, refrigerat iecur, confortat cor, sitim sedat, vtilis omnibus calidis morbis non aliter, atq; malogranata.

PYRETHRVM.

Mansa potest radix acri decocta in aceto,
E cerebro gelidum ducere phlegma tuo.
Frigore conceptum tollit de dente dolorem,
Illius & sudant membra peruncta oleo.

Quare

Quare age conuulsis febrisq; horroribus illud,
Et stupido capitis perline sæpe malo.

Pyrethrum, πύρεθρον, Saliuaris aliàs. Italis, Piretro. Gallis, pied d'alexandre. Brabantis, Bertram. Flores habet per omnia Bellio maiori similes, nisi quòd breuiores habet caules, flores paulò maiores, ac extrinsecus rubro colore tinctos. Porrò ex interno flore, qui luteus est, semen efficitur, folia millefolium adeò referunt, vt vix discerni queant. Radicem habet rectam vt Daucus. Hodie in hortis plantatur. Semen illius aut radix vino decocta, lentos ac frigidos humores per vrinam & aluum educit certa experientia. Acris est illi radix, & calefacit. Notum est Gallicum Pyrethrum, floribus Chamomillæ.

PERSICA MALVS.

Noxius est fructus quem post tua prandia sumes,
Nam facilè in succum vertitur ille malum.
Phlegmata subducit, febres, & corpore vermes,
Et renum lapidem nucleus inde terit,
Subÿce vulneribus frondes, sed sumito gummi,
Pulmonis vitÿs auxilio esse solet.

Persica malus, περσικὴ μηλέα. Italis, Persico, Gallis, peschier. Brabant. perseboom. Germanis, pfersingbaum. Fructus vocatur Gall. pesches. Braban. persen. German. pfersing. Ex horum genere sunt Mala Armeniaca dicta à

diuitibus magis quàm mala Persica expetita, Gallis, Abrigoz, Brab. auant perses. German. Gal Summer pfersing, & Molleten. Fructus frigidus est & humidus, nuclei quorum magnus est vsus, calent & siccant & abstergunt. Sunt qui ex floribus parant medicinam laxatiuam, sed quæ vel Matthioli experimento abominanda suscitat symptomata. Porrò confectio illa Geneliabin Mauritanorum, non fit ex floribus Persicorum, sed ex floribus Rosarum Persicis, & ex Persia aduectis rosis, quæ non immeritò ad purgationem commendatur.

PVRPVRA.

Purpura desiccat, dentes combusta repurgat,
Vlceris adnata exoluitur inde caro.
Ista triumphantum solita est depingere Regum,
Qui superat roseas plaustra colore rosas.

Purpura, πορφύρα, Pelagia Plinio: piscis est marinus, qui illum magni precij florem purpureum in medijs faucibus candida quadam vena conclusum retinet, tingendis Regum vestibus expetitum. Piscis è turbinatorum genere.

PSYLLIVM.

Inspissat, mollit, caput, articulosq; dolore
Liberat, & calido phlegmone membra leuat.
Commouet & ventrem lentor de semine pressus,
Soluit & ingenti viscera sicca siti.

Psyllium, ψύλλιον, Herba pulicaris vulgò.
Galiis,

Gallis, Herbe aux pulces. Brabantis, Vloycruyt. German. Flöhkraut. Plantatur hodie in hortis, alioqui & in aruis nascitur sarmentosa in totum herbula. Maio mense sata, erumpit binis aut ternis graminibus conspicua, vti Coronopus, cui tamen folia sunt quã Coronopo hirsutiora, magisque ad canum colorem vergentia. Sub mensem Iunium caules illi exeunt tenues, multis geniculis distincti, perque ambitum asperis graminibus vestiti, ijque in vertice capitula rotunda ac incana gerunt, quæ postea florere incipiunt vti plantago minor. Aduentante Autumno semine maturo prægnat forma pulices referente: tota herba amara est, semen refrigerat ordine secundo. Cauendus est eius nimius vsus.

PRIMVLA VERIS.

Illita vulneribus prodest, potataq; membra
Frigore cum multo vel resoluta iacent.
Emollit ventrem, febrisq; incendia mulcens,
Vindicat abscessu corpora læsa graui.

Primula Veris, Bellius flos siue Bellis officinis, alijs Consolida minor. Ital. Consolida. Gall. Marguerittes. Brab. madelieñen. Germ. Maß liebẽ, Puellæ, coronarios hos flores qui multiplici colore visuntur in hortis excolunt. Nascitur in pratis humidis & per totũ annum inuenitur. Radicẽ habet candidam, capillatã,

folia illi herbacei coloris, primò humi radiata procumbunt stellæ modo, Pilosellæ folijs paulò maiora. Cùm florere incipit, primũ omnium capitula viridia in altum mittit, vbi fatiscere cœperint mediam sui partem, quæ se instar oculi habet eamque luteam veluti Chamomilla exiguis albis, vel ex candido rubris foliolis in orbem cinctam ostentat, atque hic eius est flos. Multa sunt Bellidis genera, refrigerant omnes, ventrem molliunt.

PETASITES.

Vrinam & menses radix, sudoribus effert,
Pestiferam toto corpore sumpta luem.
Vlcera persanat, matricem planta vagantem,
Torminibus positis ad sua claustra trahit.

Petasites, πετασίτης, Galerita quibusdam. Gal. Herba aux tigneux. Brabant. docke bladeren. Germanis, Pestilentz kraut. Profert in fine Februarij flores, in albo purpureos Botri figura. Caulem habet canum, folia illi incana, rotunda, adeò tandẽ magna, vt vnum aliquando orbicularem mensam tegat. Singula folia singulos purpureos pediculos habent. Radix illi crassa, intus candida, fungosa, odorata, amara, quæ siccata, datur vtiliter ad ciendos sudores, ad vermes & tussim.

POLYPODIVM.

Bina trahit bilem cum lento phlegmate drachma
Ex galli, aut piscis iure tepente data.

Inde abit & febris quæ quottidiana vocatur,
Inde & quartanæ vel nocumenta tuæ.

Polypodium, πολυπόδιον, Filicula aliàs. Ital. Polypodio. Gallis, polipode. Brabant. boomvaren. German. Engelsüß & droffwurtz aut Steinfarn. Folia habet tenuibus incisuris diuisa eaque singula, singulis pediculis teretibus subnixa, parte auersa fuluis & rotundis maculis notata. Radix illi est pilosa, rotunda, nodosa, nigra, gustu subdulcis. Nascitur in syluis, melior in radicibus arborum Quercuum & Ornorum. Calida est radix modicè, ac sicca magis purgat bilem & pituitam. Eius aqua distillata facit ad quartanam, tussim, asthma, & pulmonis affectiones, aduersus melācholiam, grauia & molesta somnia. Datur & in puluere ad ℥ j. ex aqua mulsa: in decoctione admisce Anisum & Gingiber.

PORRVM.

Ni recoquas Porrum vitioso corpora succo
Implet, & ad noctem somnia tetra parat.
Extenuat tamen humores esitata tenaces,
Et reddit fœtos in muliere locos.
Herba, simul tussim remouetq; à pectore phlegma,
Renibus & lapidem, menstrua tarda trahit.

Porrum, πράσον. Italis, Porro. Gallis, poreau. Brabant. look. Germanis, Lauch. Sectiuum est, & capitatum, nec tamen differunt inter se,

nisi mangonio. Calet & siccat ordine secundo: hîc comprehenditur & Schœnoprassum, Gal. petit poreau. Braban. bislooc. Germ. Schintlauch, quibusdam porrum sectiuum. Cæterùm Ampeloprassum in vineis frequens stomacho valde aduersatur. Porrum si assiduè e-stur, obscuritatem visus inducit: herba tamen prodest phthisicis, crueta screantibus, arteriæ, & pulmonum vitijs siue cruda, siue cocta ex ptisana & absorpta.

PAPYRVS.

Vlcera coniectus cinis in sinuosa Papyri,
Purgat & à prauis sordibus ipse caput.

Papyrus, πάπυρος, Arbor est officinis ignota, neque qualis sit adhuc inter authores bene constat, propterea inquisitioni datur hîc occasio. Nascitur in Ægypto eodem quò Calamus odoratus lacu, vnde funes fiunt.

PINVS.

Pinea nux tussem tollit, consumptaq; membra,
Cum passo instaurat bis tibi sumpta die.
Arboris astringit cortex, serpentia sistit
Vlcera, tum dentes illita sæpe iuuat.

Pinus, πίτυς. Ital. Pino. Gall. pin. Brab. pynbaum. German. Forenbaum. Pinus & Picea arbores sunt congeneres & satis notæ. Hæ resinam fundunt vti larix, etsi hæc præstantissimam. Nuces pini seu Strobuli aliàs, calent & hume-

humectant minus, vtiles phthisicis & languescentibus.

POMA ET PYRA.

Cruda nocent stomacho, prosunt matura: tenello
Et calido indulge tutius ista tuo.
Citria cum Tyrio contendunt poma veneno
Ardua concoctu sed tamen esse puta.
Febribus obsistunt, pestis quoq; tempore prosunt,
Ex succo cordis mitior ignis erit.
Sed ratione tibi vis est noscenda pyrorum,
Quæ pomis stomacho sunt magis apta tuo.

Poma & Pyra. Horum tanta est varietas & differentia in figura & sapore, vt breuibus scriptis comprehendi nequeant. Priuatim tamen pyra stomacho sunt gratiora, quorum sicuti & pomorum facultas è sapore & gustu est eruenda. Addenda his sunt Citria ouali forma, succo acetoso, cortice citrino, quæ ne putrefiant, hordei aceruo condiuntur. Addendi & limones & Mala aurea, Aurentia siue Assyria, quorum cortices calidi & sicci, succus frigidus est & siccus, qui in febribus pestilentialibus, fluctuanti stomacho & vomenti, deiecto appetitui, immensæ siti ex calore, vtiliter exhibetur. Cortex verò eorundem, stomachum calefacit, & in eo superflua consumit. Cæteris pomis inest quædam superflua humiditas.

PISVM.

Hinc tibi ſubduces ventrem ſi iuſcula ſumes,
Addito nec ſlatu ſunt nocitura piper.

Piſum, ἔτνος. Gallis, poix. Brabantis, groot erwten. Germanis, Erbs. Sunt huius & aliæ ſpecies, quæ Plinio Eruiliæ dicuntur, Græcis ὦχοι, ſed omnibus notæ.

POPVLVS.

Si veſica tuis ſtat ſtillatitia rebus,
Hoc nouit cortex tollere ſumpta malum.
Nodoſam ſucco poteris lenire podagram,
Aut oculis aciem ſuppeditare nouam.
At potis eſt gummi tritum potumq; fluores,
Et ſtomachi & ventris ſiſtere nocte tui.

Populus. λεύκη. Italis, Pioppo. Gallis, peaplier. Braban, popelaer. Germ. Pappelbaum. Ex populi albę germinibus fit vnguentum populeum Officinarum. Betula (ſi folia ſpectes) populo ſimilis eſt, & Gallis dicitur Bouleau, Brabant. Berckenboom. Cæterùm populus profert quidem gummi, non eſt tamen Electrum, Succinum ſeu Carabe, Arabibus dictum: vnde Trochiſci fiunt ad omnia profluuia potentes. Nam hoc in Auſtrania Inſula ab arboribus effluit, & per inundationem maris aliquando effertur in Germanorum littora.

PIX.

PIX.

Dum pus defertur tußi cum melle relingas,
Lentaq; cùm turbat te pituita, picem.
Illita tonsillis prodesse tumentibus, vuæ
Dicitur, & strumas rumpere docta graues;
Si cataplasma facis simili cum pondere thuris,
Composito nectes vulnera magna sinu.
Hanc tibi furfuribus, carbunclis, vlcera quæq;
Ad scabiem paruo munere pauper habe.

Pix, πίσσα. Italis, Pece. Gallis, poix. Brabantis, peck. German. Pech. Duplex est, arida & liquida. Liquida rursus quæ Brabant. Teer vocatur duplex est, vna veluti aquea, quæ ex Cedro fit. Altera, secundus est qui effluit liquor; sed densatur aceto & Brutia vocatur. Sicca verò fit è liquida iterum cocta, quæ quidem minus calefacit, sed plus desiccat, abstergit, maturat & digerit. Zopissa porrò ex derasa nauibus resina & cera conflatur. Pix radulana Plinio dicitur, Braban. afgestraept peck. Pix Græca, pini alteriúsue arboris resina est aqua cocta dum friabilis reddatur, & Colophonia vocatur. Pix naualis nunc ex liquido bitumine coquitur. Cæterùm Resina & pix in hoc priuatim differunt quòd hæc è larice, abiete, & eiusmodi arboribus ignis vi in fornacibus educitur, illa sponte ex arboribus profluit.

PISTACIA.

Confortant stomachū, Venerisq; cupidine temptant
Et pingui sensim corpora carne fouent.

Piſtacia, πιςάκια, Germaniæ noſtræ incognita ſunt, & in Syria gignuntur. Officinæ hodie Fiſtica & Fiſticorum grana vocant. Quidam ſub piſtacijs nucem veſicariam, quam Germani pimpernüſſin vocant, comprehendunt, cuius ſtolones tranſplantari poſſunt. Folia illi fraxini ſimilia ſunt aut ſambuci, ſed viridiora, in veſiculis cauis, quæ Maio menſe ſe produnt, reperiuntur fuſcæ & dulces nuculæ, quas pro Piſtacijs habent. Piſtacia calida ſunt & ſicca.

PIPER.

Calfacit, vrinam ciet, & coquit omnia cruda
In ſtomacho, ſtrumas digerit, adde picem.
Præripit horrores febris dorſum illine, morſus
Serpentum eneruat, ad Veneremq; mouet.
Vtere, natiuum poſſis ſeruare colorem,
Quò vitæ plenos ipſe videre dies.

Piper, πίπερι. Ital. Pepe. Gallis, poiure. Brab. peper. German. pfeffer. Triplex eſt, Macropiper, quod longum dicunt, Leucopiper, album, Melanopiper, nigrum, Solinus cũ Theophraſto putauit eſſe fructus vnius & eiuſdem arboris. Verum indigenam fidem ſequuti aberrarunt: non enim eſt arbor, ſed planta, quæ ſeritur ad radices alterius arboris ad cuius faſtigium ſeſe conuoluendo ſcandere ſolet. Et diuerſa eſt planta quæ piper nigrũ, ab ea quæ candidũ profert; licet diuerſitas ſit exigua. Interim planta quæ longum piper producit, omnino

ab

ab vtrisq; differt, & forma & viribus. Est enim calidior illius fructus & odoratior: calor piperis (inquit Galenus) in stomacho absumitur, nec illius vis aut acrimonia ad hepar pertingit: vnde ijs vtile medicamen, qui cùm frigido sint stomacho, calidum habent hepar.

PILOSELLA.

Succus quartanas curat potatus hybernas,
Hinc intestini frena cadentis habe.

Pilosella, Italis, Pilosella. Gal. Piloselle. Braban. naghel cruyt. Ger. klein Meüss or. Nascitur in sabulosa terra, radice capillata, folijs humi sparsis, incanis, hirsutis, luteo flore. Altera huius generis est planta, tota illi similis, sed viridioris coloris, & non perinde pilosis folijs. Dioscorides videtur eas agnouisse, apud quem vno nomine vocantur μυὸς ὦτα: differt Pilosella ab Auricula muris maioris solo flore.

PANAX.

Calfacit & tenuat, succusq; rigoribus obstat
Sumptus, & è venis phlegmata lenta trahit.
Sic sopit veterem tussim, duriq; lienis,
Sic coxæ morbis auxilio esse solet.
Vulnera vesicæ sanat, flatusq; resoluit,
Illinc, nam magno membra dolore leuat.
Euocat hinc pessus menses tardasq; secundas,
Matricis fœtus, tormina dira tuæ.

Emollit schyrros, nudataq; carne reuestit
Ossa, oculis aciem succus (inunge) refert.

Panax, πανάκες. Triplex est, ab inuentoribus & nomen & differentiam sortitum. Est enim Heracleum ab Hercule, Asclepium ab Æsculapio, tertium Chironium à Chirone. Primùm ex quo Opopanax liquor ille extrahitur in hortis quibusdam hodie seritur ostentationis gratia, sed liquor ex Alexandria adfertur. Folijs est asperis, in terra iacentibus, ad Ficulnea accedentibus, in ambitu diuisis, caule ferulæ, alto, lanuginoso, folijs minutis obsito, flore luteo, radice candida. Doctissimus Tragus putat se vidisse plantam, quæ ad Chironium referri posset, & à Germanis Wundtkraut vocatur, in asperrimis & saxosis montibus ea prouenit, necnon subter Iuniperos radice tenui, leui, cãdida, petroselino simili, sub acri gustu. Folijs oblongis & angustis velut Acetosę minoris. Caulem profert teretem, florem in vmbellis luteum instar fœniculi, qui tandem in semen abit, acre, & peregrini saporis, &c. Opopanax calefacit, mollit, digerit.

PARIETARIA.

Astringit, terget, tum phlegmonis herba dolores
Lenit, & est sacris ignibus apta satis.
Sæpe grauem tußim decoctio sumpta repellit
Quæ recidet renum factus arena lapis.

Pa

Parietaria, ἑλξίνη, Perdicium aliàs. Ital. Parietaria & vitriolo. Gallis, parietaire. Brabantis, glascruyt. Germanis. S. Peters kraut. Refrigerat & siccat parum, & ad temperiem accedit. Duplex est, maior & minor. Folia vtrique mercurialis, hirsuta, cauliculi subrubentes, semina aspera, adhærentia vestibus: bonum est hac herba lauare pueros qui scabie serpente infestantur, vnde macrescere solent. Germani vocant die Megerey. Eadem in vino aut aqua cocta valet ad veterem & aridam tussim, ad idem valet aqua distillata.

PALMA.

Fructus si iusto plus sumpseris, ecce Lyæi
Attonitus rabiem senseris ipse Dei.
Vulnera componit, tum faucibus aspera demit,
Et menti vires dat caryota nouas.
Si tibi grumosus creuit sub pectore sanguis,
Hinc quoq; desumpto pondere fusus eat.

Palma, φοῖνιξ. Ital. Palma. Gallis, dactier ou arbre de dattes. Brabant. dadelboom. Germanis, Dattelbaum. Fructus Latinis Palmula. Officinis, Dactilus. Gallis, Dactes. Brabantis, daden, vocatur: aliàs etiam Caryota, calefacit & siccat secundo. In horum numero habentur Tamarindi officinarum, Dioscoridi Phænocabalani dicti, qui nihil aliud sunt quàm dactili Indiani, frigidi tamen & sicci, tum ad soluendam aluum vtiles in febribus biliosis.

PHV.

Sume, vias reserat renum vrinæq; reclusæ,
Sollicitatq; suo menstrua tarda die.
Si dolor in pleura est pungensq; grauansq; molestus
Huius ab epota fac moueatur aqua.

Phu, φοῦ, vulgò Valeriana. Triplex est, maior, vulgaris & minor. Maior plantatur in hortis. Radix digitum crassa, villosaq; est & odorata, folijs vestitur herbaceæ viriditatis, latis, dissectis instar filicis. Caulis illi teres, concauus, leuis, geniculatus. Altera vulgaris nimirum, huic similis est, nisi quòd folia habet nigricantiora, multisq; ac frequentibus incisuris diuisa, radicem multò minorem. Nascitur in humectis agris. Valerianæ similis est, Carpesium, Cubebe Barbaris, nec admodum facultate dissidet.

POLIVM.

Herba lienosis in aceto sumpta puellis,
Pallentes rubeo pingit honore genas.
Soluit & hydropem, ventrem mensesq; retentos,
Suffituq; abigit dira venena suo.

Polium, πόλιον. Gal. du poliot, Officinis est ignotum, frutex est candidus, dodrantalis, semine refertus, capitulo quandam corymborum speciem præseferente, paruo, canis hominis capillis simili, grauiter olente nō sine quadam suauitate. Nascitur verum in Gallia Narbonensi.

PAPAVER.

Cùm caput & frondes decoxeris, inde foueto
Frontem, quò somnum conciliare queas.
Cum melle efficies ad tußim eclegma suaue,
Ad lateris, colicas, cœliacasq; cruces.

Papauer, μήκων. Ital. Papauero. Gall. pauot. Brabant. mancop. German. Magsamen. Succus Opium vocatur, quod duplex est, vnum ex capitibus & folijs expressum, & Græcis Meconium vocatur, alterum ex solis capitibus incisis & præstantius est. Porrò hoc obiter notandum, quod syncerũ Opium in oleo dissolui non potest, sed tenuiter tritum inspergitur. Refrigerat opium & siccat ordine quarto, Papauer verò tertio. Si Errhinon siue nasale in succo papaueris intinctum naribus admoueas somnum quamprimùm induces. Eodem modo muliebrib. locis subiecto profluuia cohibebis dolore mitigato & somno accersito.

Cæterùm est etiam & papauer Rheas erraticum aut fluidum aliàs dictum, Officinis Papauer rubeum. Gallis. Coquelicoc. Brabantis, clapperrosen. Germanis, Kornrosen, Dioscoridi ἀργεμώνη Argemone, syluestris papaueris genus, quæ incisa flauum succum emittit, folijs est magis dissectis, instar cichorij, ita vt superiora serram referant. Caules lanuginosos profert è capitulis puniceus exilit flos multiplici interdum stipatu foliorum contextus.

ſemen ſubfuſcum eſt. Aqua huius herbæ diſtil lata facit mirè contra calores internos, & poteſt citra periculum bibi, ſemen tuſum & cum melle hauſtum, ventrem mollit: flos ſiccatus & datus in puluere mirè ſedat dolores laterũ in pleuritide.

PARTHENIVM.

Sumito, ſubducit nigram bilem & pituitam,
Reddit anheloſo libera flagra ſeni.
Renibus inuentum nouit purgare lapillum,
Diſcutere abſceſſus, menſtrua clauſa ſimul.
Decoctum ad podagram ſumas mirabere vires,
Ad vuluæ faſtus, fit cataplaſma potens.

Parthenium, παρθένιον, Amaracus Aeginetæ. Officinis matricaria. Italis, Matricaria. Gallis, Eſpar goutte ou matricaire. Brabant. moedercruyt. Germanis, Metterkraut. Tanaceti videtur ſpecies, folia habet diſſecta ſicuti Coriandrum. Radix illi capillata, & multis adnatis radiculis contorta. Caules illi multi, ijq́ue cubitales, in quorum ſummitate flores frequentes & melini intus, per ambitum albi, radiati inſtar Bellidis, odor grauis eſt illi atq; ingratus, ſapor amarus. Parthenij herba ſiue eius aqua ſtillatitia, purgat bilem & lentam pituitam, daturq́ue febricitantibus mulieribus & immundioribus tutiſsimè.

QVERCVS.

Toxica decoctum Quercus innoxia reddit,
Ex tepido tantùm ſi tibi lacte datur.

Laxa

Laxa valet firmis aſtringere corpora vinclis,
Nectere vel ſucco vulnera magna ſuo.
Attamen & flatus generat capitisq́; dolorem,
Sed redimit paruum commoditate malum.

Quercus. δρῦς. Ital. quercia. Gal. cheſne. Bra. eecken boom. Germ. Eichbaum. Fructus vocatur βάλανος. Gal. gland. Brab. eekel. Profert etiam gallas & viſcum, quæ omnia cum folijs calent, ſiccant, aſtringunt: prȩſertim liber qui cortici & ligno intercedit. Aqua diſtillata ex glandibus validè aſtringit omnia profluuia.

QVINQVEFOLIVM.

Vlcera compeſcit paſcentia, flumina ventris,
Iſchiadem, ſtrumas, phlegmona deinde domat.
Pulmonum morbis, iecorisq́; occurrere fertur,
Vertere febriles circuitusq́; tua.
Pictaq́; ſi crocea contemnas corpora carne,
Hinc reddes gelida, candidiora niue.
Pubetenusq́; doles quod ſe inteſtina relaxant,
Hinc quoq; laſciuis frena paranda locis.

Quinquefolium. πεντάφυλλον. Ital. cinquefogli. Gal. cincfueille. Bra. vloycruyt. Ger. Fünff finger kraut. Ramuſculos fert ſurculaceos, tenues, dodrantales, in quibus ſemen: folia illi Mentæ quina ſingulis pediculis, raro plura, in ambitu ſerrata, florem habet in luteo palleſcentem auri æmulum, ſubrubra radice, oblonga. Naſcitur in riguis & aquarijs: eiuſdem cum hac facultatis eſt Tormentilla: hoc habet pri-

uatum, quod aqua diſtillata Pētaphylli tremu-las manus iuuare creditur ſi ex ea abluuntur, & per ſe ſiccentur manus.

RAPHANVS.

Quo ſedes tußim aut craſſum de pectore phlegma,
Sumito cum mulſa ſi vomiturus eris.
Extenuat magnum ieiuno ſumpta lienem,
Et potis Anginæ eſt tollere planta malum.
Sic quoque ſubrubros renum purgare lapillos,
Menſtrua ſic ſolita ſuppeditaſſe die.

Raphanus. ῥαφάνις. Ital. Rauanello, & radice. Gal. raue, raifort. Bra. radijs. Germa. Rhettich. Folia habet ciner acea, aſpera, & perpetuo humi ſparſa: flore comat candido, qui in ſiliquas concauas, rotundas, & in oblongum mucronatas, ſemine ex luteo colore fuſco refertas abire conſueuit. Multa enumerantur genera raphani, vtpote rotundum & vulgare, Argentoratenſibus familiare, eſt & prælōgum quoddam Napis ſimile, in Lotharingia notum. Eſt & alius raphanus maior dictus: ſiue Armoracia, folijs lapathi guſtu acerrimis. E medio foliorum caules exeunt craſsi & rotundi, in quorum faſtigijs floſculi emicāt copioſi ac frequentes, candidi, qui antequam aperiūtur Milij formam repręſentant, hoc raphano nōnulli ad carnium intinctus vtuntur, ſponte ſua nonnunquam in pratis prouenit. Raphanus communis cōcoctu difficilis eſt, ructus ciet, cerebrum, rationem, & oculos turbat.

RVBIGO

RVBIGO.

Succurrit papulis nunc erumpentibus, ignes
Extinguit sacros, restituitq́; comam.
Cœliacos firmat, sæuamq́; subacta podagram,
Sanat & est siccis grata medela locis.

Rubigo ferri. ἰὸς σίδηρου. Gal. roillure de fer. Br. roest, ijser rost. Ger. Eysenrost: nota res est. Spuma siquidē è ferro ignito exiliēs: astringit.

RANVNCVLVS.

Vlcerat, & crustas folium molitur adurens,
Exitait & scabiem, viscera cuncta simul.
Naribus ingestum sternutamenta mouebit
Illine verrucas si cecidisse voles.
Sed distillatæ si sumes pocula, febris
Horror quartanæ discutietur aquæ.
Nullus & in renum concrescet calculus ore,
Nec curui flatu discrutiere coli.
Sic foris illinitur quò frigidus exeat humor,
Vrinæ longas qui facit esse moras.

Ranunculus. βατράχιον. Strumea aliàs, Pes corui, Flammula, Apium risus, & herba Sardonia dicitur. Ital, piè di corbo. Gall. Grenoillet, pié de corbeau ou basinet. B. hanenuoet. Ger. Hanenfůss. Multæ sunt eius species: primò, est exiguus, idemque sceleratissimus ranunculus, frutex per terram proiectus, folio dissecto, nigricāte, leuiter hirsuto, caule rotūdo, flore luteo: secūda species folia habet maiora, cui radix oblōga, lōgo & cōcauo caule, aureo flosculo: tertia species in syluis nascit᷑ incisis folijs &

ſaniculæ ſimilibus, vnico flore è candido purpuraſcéte per medium folij erumpente. Eſt his annumerandus ranunculus pratenſis ſeu dulcis herba exiguo Batrachio ſimilis ſed lõge maior & quæ linguam non vellicat. Eſt & alia huius generis planta, folijs primo exortu inſtar violæ Martiæ rotundis, quæ vero proxima ſequuntur finduntur veluti Pes gallinæ: caule alioqui, radice, flore & ſemine per omnia luteum ranunculum æmulatur. Ad ranunculum accedit & illa planta quæ Germ. vocatur Waſſer epff, Apium aquaticũ Latinis, in paluſtribus frequens, vbi ranæ degere ſolent: frutex tenellus, caule vnico, folio viridi, molli, haud aliter quàm Coriannum fiſſo, floſculis ſubluteis ranunculo minoribus, guſtu acri & feruenti.

ROS.

Febrili quoties fuerint ſiccata ſub igne,
Cœleſti hoc madeant membra liquore face.
Namq; ſuis iamiam moribundum viribus ægrum,
Reſtituet vita cum nouitate ſibi.

Ros ſiue roſa ſolis. Ignota forſitan veteribus herba eſt: rotunda habet folia, lanuginoſa, & rubicunda. Ital. rugida. Gal. roſee de ſoleil dicitur. Brab. ſondawe. Miræ eſt naturæ, quo enim magis eam ſol illuſtrat eò etiam magis madet: temperata eſt.

RVBVS.

Decoctum potu ventrem tum menſtrua ſiſtit,

Gingi-

Gingiuas firmat, cardiacosq; iuuat.
Aphtas persanat, tum vulnera cuncta resarcit.
Vrinæ lapidem comminuitq; tuæ.

Rubus βάτος. Latinis, Sentis. Ital. rouo. Gal. ronce. Germ. Bremen. Est rubus humilis & est grandior: humilis, ripis fluuiorum gaudet, neque non macris & incultis agris. Folia lupulo respondent, nigriora tamen sunt & asperiora, flores gerit ex candido roseos stellatos: mora flore excusso sequuntur, primo viridia, mox rubra, post maturitatem cœsia, suauia gustu: radix nodosa est. Ea est planta quam Theophrastus vocat χαμαίβατον: Latini humirubum. Iam grandior rubus per dumos repit & in syluis inter cæteras sentes & aculeatas plantas reperitur: hic pungētes habet spinas, folia asperrima, flores minori similes, mora tamen illi per maturitatem nigra euadunt, dulcia & modicè amara, cibus pauperibus expetitus, & videtur Cynosbatos esse. At rubus Ideus, virgas, folia, & spinas habet teneriores, folia albicantia qua terram spectant, rotundos & ex albo pallidulos proferens flosculos qui in iocunde spirantia abeunt mora, rubra, & dulcia. Gal. Frambroisier dicitur. Bra. hinnenbrænem. Germ. Hymbeeren. Est aliud rubi Idei genus quod in vmbrosis & vliginosis arbustis prouenit, virgis tenuissimis humi sparsis: folia gerit vt rubus similia, sed non spinosa: fructum edit minimè copiosum veluti morum rubrum, ternis aut qua-

ternis acinis constantem, gustu pergrato. Ger. vocant. Boocks beer: Chamæbatis forsitá species. Hic Cynosbatos annumerádus est frutex (quem Plinius appellat Neuropaston) elegantissimus, sepibus secus itinera positis admodũ familiaris: copiosum habet florem cœrasi similem, singuli flosculi quiuis cõstant foliolis candidis, in quorum medio multi albi ceu capilli apparent apices roseos sustinentes: fructus sequitur oblongus, rubeus tandem, foris nigrum quid continens, intus nucleis exiguis, candida lanugine inuolutis. Gallis, dicitur Englentier. Brab. hanbuttel. Germ. Hagendorn.

RAPVM.

Inflat, alit, diræ confert coctura podagræ,
Flaccida sed tantùm nascitur inde caro.
Obstruit, ad Venerem torpentem suscitat inde,
Semina, nec metuas sæua venena, cape.

Rapum. γογγύλη ἢ γογγυλὶς ἥμερος. Ital. nauoni & rape. Gal. naueau, ou rape. Germ. ruben. ab hoc differt Napus, Græcis βουνίας dictus. Germ. Steckruben, sola longitudine. Rapum bene nutrit & validè, si bene digeratur, alioqui modicùm nutrit & inflat. Est etiam & rapũculum siue rapum syluestre crescens partim ad sepes & in graminosis hortis, cuius folia folijs Primulæ veris per omnia sunt similia, humi sparsa, Iunio mense exiguæ hę rapæ singulæ singulos ex se mittũt coliculos, teretes, lõgos, lignosos & bicubitales exiguis ramulis brachiatos, folijs

folijs per totum exiguis & nigricantibus, flore emicantes ex purpura cœruleo campanulam imitante: capitula florem sequuntur Nigellæ seminum conceptaculis similia & viridia, aculeis horrida, in quibus semen. Est rapunculum sylvestre maius in altissimis syluis crescēs non ita omnibus notũ flore Stœchadis, folio Violæ Martię folijs simili, radice cãdida & suaui. Hæc rapuncula sunt qui ad Sisarum Dioscoridis referunt, alij Naporum generi ascribunt.

RICINVS.

Grana tibi flauam ter dena recentia bilem,
Turgentem & purgant sumito ventris aquam.
Sed frondes oculis, mammisq; tumentibus, igni
Subueniunt sacro, phlegmone dura domant.

Ricinus, κίκι, κρότων, σήσαμον ἄγριον, Officinis kerua: vnde oleum de kerua siue Cicinũ digerentis admodũ facultatis, lucernis vtile quoq;. Vulgò palma Christi. Brab. mollécruyt. Ger. Wunderbaum. Arbor est ficus altitudine, folio platani maximo, dissecto in septem aut nouē diuisuras venis suis distinctas, per ambitũ serrato: caulis illi fuscus & subalbidus, in vertice surculorũ asperi racemi ꝓdeũt, q̃ duplci flore emicãt, quorũ vn9 luteus, alter rubicũdus, q̃ tandem in aspera vascula desinunt. qualia sunt seminum Cataputiæ (vnde etiam Ricinus Cataputia maior vocatur) receptacula in quibus semen ricino animali simile: folia ricini tusa ex aceto & hordeo, & more cataplasmatis

apposita oculorum tumores & dolores sedant, inflammationesq; tollunt miro successu.

ROSA.

Nunc rosa constringēs, tepida est nunc cūcta relaxāt
A varia variam vim quoq; parte ferens.
Si calor in gelido perturbat cuncta cerebro;
Illinc, temperiem frons capit ægra suam.
Quòd si flagranti stomachus tibi feruet ab igne,
Ignis ab exesis fit minor ipse rosis.
At tibi si dura est ventrisq; saburra molesta,
Mollius his regeret, sumito, venter onus.

Rosa, ῥόδον. Italis, Rosa. Gallis, rose. Multæ sunt rosarum differentiæ, quas require apud doctissimum Ruellium, interim rubris plus in medicina vtimur decerptis, nondum sese aperientibus calathis. Inter has præcipua est rosa Alabandica Plinio, albicantibus folijs, Gallis, Rose incarnee dicta, Brabantis, prouensche rose, Germanis, Leibfarbige ros. Est & rosa Milesia seu rosa purpurea, cuius ardentissimus est colos, Gallis, ronge rose, Brabant. bruyn roode roose, Germanis, Rotte rosen. Est tertiò rosa Coroneola Plinij, pallida, odorata, forsitan ea, quam Moschettam vocant, à musci odore, quem mangonio acquisiuit, Gal. rose autumnale, Brabantis, musket roose, alij Damascenas vocant, ex quibus suauissimum fit medicamen purgans. In rosarum genere est κυνόροδον, siue rosa canina, syluestris rosæ genus, Germa-

Germanis, Hanbütel & wildt rosen dictæ. Gall. Englentier. Constat rosa, calida, aquosa, astringenti, & amara substantia.

ROSMARINVS.

Viribus effœtum cor confortare, iecurq́;
Flatibus & cerebri nouit obesse malis.
Tum constipatæ reserat spiracula carnis
Herba, oculos terget sæpe subacta tuos.
Sic quoq; deducit menses, vterumq; repurgat,
Et quoduis vitium pectoris illa domat.
Cuius odoratis instes suffitibus, & sunt
Tuta à peste tuum corq; domusq; graui.
Ex distillatis tremulos sed floribus artus
Calfactis neruis hinc stabilire potes.
Quæq; sub ignauo iacuerunt pressa veterno,
Ad vitæ solitum membra vocabis opus.

Rosmarinus, λιβανῶτις: notus est, Dioscorides tria eius genera facit, sed hodie nobis vnũ tantùm Coronarium scilicet notum est, & familiare culinis, frequẽtissimum & vilissimum in Gallia Narbonensi, quam hodie Langendocken vocant. Planta elegans, hortensiq; mangonio topiaria, ramis tenuibus, folijs minutis, densis, subter incanis, supernè virentibus, graui odore. Abstergit, incidit, calefacit & siccat secundo, fit ex eo vinum ad innumera vtile.

RVTA.

Lætifero ex ficis obsistit sumpta veneno,
Siccius hinc semen fit genitale tuum

Sanat anhelosos, tußim, febresq; repellit,
Difflat matricis, tormina dira coli.
Enecat & vermes, omentum purgat aquosum,
Estq; oculis succus gratior ipse tuis.
Excitat vrinam, menses, morboq; caduco
Subuenit, in nares sæpe resumptus odor.

Ruta, πήγανον. Ital. Ruta. Gall. rue. Brab. wyn ruyt. German. Rautten. Duplex est, hortensis & syluestris, vtraq; hodie satis nota. Est tamen & alia syluestris ruta paucis nota, quæ Arabibus Harmel dicitur, quam inepti quidam pro Cicuta vsurpant: folijs est & nodosis floribus, semine exiguo, incano, aliàs vulgari rutæ persimilis. Porrò ruta capraria, Italis Galega vocata, quę libenter in fossarum summitatibus nascitur fœnogræco similis, miræ est efficaciæ aduersus epilepsiam & pestem. Moly herba, rutæ syluestri haud absimilis ignota est. Cæterùm conficitur ex ruta vulgari præstans antidotum, & aduersum omne venenum, & infectum peste grassante aerē hoc pacto. Recipe folia rutę, baccas iuniperi, iuglandem & ficos, æquali pōdere, omnia simul tunde, deinde affuso rosaceo aceto percola illū succum, eoq; vtere.

RHAPONTICVM.

Conuulsis, tabi, ruptis, & pectora fartis
Vesicæ morbis torminibusq; coli.
Subuenit hepaticis, coxæ, stomachiq; dolori,
Atq; paroxysmis febris iniqua tuis.

Rhapon-

Rhaponticum, ῥᾶ, à rha ponti fluuio, cuius in ripis copiosè naſcitur, nomen ſortitum eſt. In huius radicis defectu quidam vtuntur Centaurio maiori, imò putant rhaponticum eſſe Centauriam maiorem, ſed conſule Matthiol. de hac re. Non eſt interim rhabarbarum rhaponticum hîc deſcriptum, cùm iſtud ventrem aſtringat, illud ſoluat, huius radix inſipida, leuis, illius grauis & amara. Hæc doctorum quorundam eſt opinio. At viderint illi num Dioſcorides non innuerit rhaponticum etiam purgare cum dicit eodem pondere dari quò Agaricum.

RHVS.

Aſtringit, cohibet gangrenas, illine melle
Alba puellarum flumina ſicca facit.
Decoctum nigros potis eſt & tingere crines,
Et gummi dentes (mande) dolere vetat.

Rhus. ῥόος, Officinis Sumach, eo olim in condimentis vtebantur antiqui, ideo rhus obſoniorum appellatur. Sed quoniam folijs ramuſculisq; huius fruticis vtuntur Coriarij ad pelles inſpiſſandas, rhus Coriariorum etiá dicitur: vnde non varia ſunt genera rhus, ſed vnum, folijs longis, ſubrubentibus in ambitu ſerratis, acino denſo, lato.

RHAMNVS.

Frondibus ad ſacros feliciter vtimur ignes,
Seminibus, renum frangitur inde lapis.

Alternis baccis pituitam corpore purges,
Sed tamen imbelles hîc reuerere viros.

Rhamnus, ῥάμνος. Ital. Spina. Gallis, Bourgeespine. German. Wegdorn beer, fruticat in ſepibus, & frequens eſt in Italia tam albus quàm niger, folijs paruis, oblongis, ſubpinguibus, aculeos habens in acutæ ſpinæ modum. Huius generis rhamnus eſt etiam Vua criſpa, Gall. grouſelles ou grouſelier. Brabant. ſtekel be ſien. Germ. Krauſſel beer. Frutex eſt ſurculoſus, & hodie notus, quem ſi in hortis ordine collocabis, ſepem efficies perpetuam & præſtantiſsimam. Eſt & alius rhamnus ab iſtis planè diuerſus, & vulgò vocatur Rhamnus ſolutiuus, aut Spinus ceruinus, largis folijs, & in baccis fructum nigrum producens ſimilem liguſtro, quo pictores vtuntur ad colorem viridem, interdum croceum, demum puniceum (ea enim eſt plantæ vis) inducendũ & hæc eſt planta, quæ Brab. ſimul & Germanis vocatur Wegdorn beer. Baccæ illius Rhenanę vocantur, quę purgát, ſed violenter, bilẽ & pituitam.

RHABARBARVM.

Expurgat bilem, pituitam terget aquoſam,
Roborat, aſtringit, peruia quæq; facit.
Debile ſi iecur eſt, dolet, hoc medicabere morbo,
Vita etenim tanti dicitur eſſe loci.

Rhabarbarum, Rhacoma Plinio, Gręcis incognitum fuit, & Arabes ſæpe illud cum rha-

pontico

pontico confundunt. Radix ex India aduehitur, interdum ex Barbaria, calefacit & ſiccat ordine ſecundo ineunte, conſtatq; aeria, terrea & aquea ſubſtátia. Tutò exhibetur cum paſſulis, alioqui nimis exiccat ipſos bilioſos. Laudatur recens, graue, ex ruffo & glauco alternans, & dum manditur Croci modo tingens.

SABINA.

Icterus effuſa concedet bile per auras,
Huius decocto ſi potiare frequens.
Enecat in tepido qui ſpirat ventre puellum,
Vrinam, fœtus, menſtrua tarda ciet.
Hinc ſimul & gelidi & ſitientis ceſſat hydropis,
A iecore enatus ſiue liene tumor.

Sabina, βράθυς. Ital. Sauina, Gal. ſauinier. Braban. ſeuen palmen. Germ. Seuenbaum. Folia habet perpetuò virentia, copioſa & diſſecta, Tamariſco aliquantum maiora, aculeata & aſpera tactu, grauiter olentia, guſtu acria & feruentia, & cùm in arborem excreuerit grandiuſculam, baccas teretes & nigras Iuniperi ſimiles producit. Eſt & altera Sabina Dioſcoridi, ſed parum hodie nota. Calefacit, tenuium eſt partium, & ſiccat ordine tertio. Datur puluis ad euocandos menſes, ſed cum magna cautela eo vtendum eſt. Decoquuntur folia cum pinguedine lactis, & eo vnguento ſanantur ſcabioſa puerorũ capita. Eadem folia tuſa, ac Phagedenę (Ger. den Wurm vocatæ) impoſita ſanát.

SALIX.

Si te perturbat colicus dolor, omine fausto,
Longum cum vino frondibus adde piper.
Hinc succum petulans sumas effœta manebis,
Sæpius ad Paphiæ rapta puella thorum.
Corticis extirpat callos cinis vdus aceto,
Decocto salicis lota podagra perit.

Salix, ἰτέα. Gall. saulx. Brabant. willighenboom. Germanis. Weiden. Multarum est specierum, omnes vliginosis & aquosis vt plurimum locis nascuntur. Quædam ex his virgas proferunt rubras, tenues & flexiles, quas præstantissimas iudicamus. Aliæ salices candido vestiuntur cortice, aliæ luteo, & hæ ad ligamenta commodiores. Flos omnium boni est odoris. Quidam succum salicum, dum in flore fuerint, colligere solent, & rubentibus caligantibusq; oculis adhibent, claritatem enim oculorum succus ille adiuuat, caliginemq, amouet.

SPINACHIA.

Emollit ventrem, vomitum tamen ipsa lacessit,
In duplici cocta ni comedatur aqua.

Spinachia, Arabibus Hispanach, Ital. spinaci. Gal. espinars. Brab. spinagie. Ger. Bynetsch Nota est, culinę & acetarijs frequens, ex Lapathi genere, à quo neque forma, neq; facultate multum dissidet, refrigerat & humectat, gratissima & laudatissima in cibum ęgrotantium vsurpata est planta.

SAL-

SALVIA.

Saluia cit menses, fœtus deducit in auras,
Interni fluxum sanguinis esa premit.
Illius ex succo si libram fœmina sumet,
Mox est post ternos fœta futura dies.
Mox quoq; pro gelidis cerebri medicamen habebit,
Pro rigidis nerui, pro tremulisq; malis.
Pro tussi lateris, renumq; doloribus & pro
Flatibus occultæ pestiferæq; feræ.

Saluia, ἐλελίσφακον. Ital. saluia. Gall. saulge. Brab. saiue. German. Salbey. Frutex est ramosus, longus, virgas habens quadrangulas, folia, florem & semen habet Callitrici. Est etiam syluestris saluia, quæ in agrorum limitibus, & secus itinera prouenit: omnino quoad radicem, caulem, florem, & semen attinet cum domestico Callitrico conueniens, non est tamen perinde lanuginosa, florẽ ex purpureo cœruleum gerit, Ambrosiam, hanc nonnulli vocant. Altera syluestris genus est Nepetæ, cui nomen Calaminthæ montanæ: calefacit saluia, & siccat, & leuiter astringit.

SENECIO.

Hinc poteris febris aut delinire calores,
Aut simul ex tepido rore fouere iecur.
Sumito, quò stomachi, quò renum phlegmona soluas
Quò maculas oculi, spurcitiemq; tui.

Senecio, ἠριγέρων. Gall. senesson. Brab. cruys wortel. Germ. Grindtkraut: caule est rubenti,

folijs continuis, diuisura erucę, floribus luteis, celeriter in pappos euanescẽtibus. Tria huius quidam aßignant genera. Primum hîc descriptum in veteribus muris est frequens. Frigida est & humida.

SANICVLA.

Durat laxatas mammas, externaq́ sanat
Vulnera, nam myrrhæ sufficit herba vices.
Sume, valet fœdis orisue aut gutturis Aphtis,
Renum, pulmonis, vlceribusq́; tui.
Quòd si distillat fœdus matricibus humor,
Spe quoq́ conceptus inde puella cadit.
Huius ab epoti fiet medicaminis vsu,
Vt breuibus mater læta diebus eat.

Sanicula, ζύμφυτον, πέτραιον, vt quibusdam placet, Diapensia vulgò, Gall. sanicle, folio est vitis aut Apij in quinq; partes dissecto, forma ranunculi purpureo insidentia pediculo, cui radix foris nigra, intus cãdida. Huc ob virium affinitatẽ transferenda Alchimilla. Pes leonis dicta, Gręcis λεοντοπόδιον. Brab. groote sanicle, Ger. Vnser frauwen mantel. Radice fibrata, nigra, Tormentillæ simili, gustu subamara, folia illi rotunda, complicata, per ambitum leuiter serrata, inter quæ breues enascuntur coliculi, exiguis foliolis ad summum vsq; vestiti, luteo flore emicãtes. Glutinandi hę duæ herbæ vim maximam habent, proinde rupturis & vitijs pulmonis valde accommodę, & omnib. internis vulnerib. siue decoctę siue ex puluere datę.

SERPYLLVM.

Vesicæ lapidem frangit, mensesq; reducit,
Sit cibus & fluxum sanguinis inde premes,
Si facies fuerit fœda lentigine turpis,
Tergendæ multum conferet herba cuti.
Siue caput doleas, altoq; grauere veterno,
Hinc quoq; perfundas sæpe liquore caput.

Serpyllum. ἕρπυλλον. Ital. Puleggio. Gal. Serpoulet. Brab. vnser wrowen bedstroo. Germ. Quendel. Quidam Pulegium montanum vocant. Tres ostenduntur Serpylli species. Prima in incultis agris prouenit maioranæ similis, folijs qua terram spectant pallidi viroris : altera in muris emergit nullo odore prædita. Tertium serpyllum vulgare est, idque duplex, alterum rotundis, alterum acuminatis & angustioribus folijs circumuoluitur hyssopo haud dissimilibus : flos vtriq; vt in thymo alius subpurpureus, alius verò roseus, alius deniq; prorsus candidus, gustu acri vtrunq;, odore suaui: calet & siccat tertio.

SOLANVM.

Prima tibi vlceribus serpentibus, herbaq; sacris
Ignibus est iecoris frigiditate potens,
At tußim frangit, renumq; secunda lapillos,
Tertia te ad somnum pondere pauca vocat.
Quarta magis stygijs est commendanda lacunis,
Quæ trahit ad stygios largius esa lacus.

Solanum, στρύχνον. Ital. solano. Gal, morelle,

Brabantis, nachscaed. Germanis, Sewkraut.
Quatuor eius enumerantur genera: primum itaque nequaquam in hortis prouenit, sed in syluis: frutex est verius quâm herba, caule partim spadiceo, folijs solatri vulgaris, latioribus tamen, flore emicat Iunio mense, instar cāpanulæ oblongo & concauo ex pallido purpurante, eo decidēte virides acini sequūtur qui tandē nigri euadūt, intus verò purpurei, sapore subdulces, radix cādida. Hęc Solani species distillatur, & eius aqua omnis generis infllāmmationibus internis præsenti est remedio, si singulis vicibus duo cochlearia bibantur, modò tamen caueas ne immodicè de ea bibas: alterum Solanū Halicacabū seu Alkakēgi dicitur officinis, & Vesicaria. G. des Baguenaudes. Br. kriecken ouezee winterkesen. Ger. Schlutten. Folia primo similia paulo minora & lanuginosiora, florē profert candidū, instar cāpanulæ formatū, ex illo sacculi vndiq; cōclusi ad vesicas animaliū ꝓximè accedētes nascūtur, qui Autumno rubri fiūt. Porrò in his vesicis acini rubei cōtinentur, cerasis similes, gustu amari. Qui ex puluere dati, vel distillati & epoti, mirá habēt facultatē in frāgendis renū lapillis, & purgādis vesicæ vlceribus. Tertium solanū vbiq; in sterquilinijs, secus macerias & muros & locis vmbrosis prouenit, surculosus existēs frutex, cubitū altus, folijs nigricātibus & succulētis, flore copioso, cādido & pallēte: acini illi virides, qui

matur

maturi, nigri euadũt: radix cãdida recta: hoc furiosum Solanũ nominatur siue μάνικον. Quartum solanum nascitur in hortis & vinetis nocentissima herba, folijs solani vulgaris, per ambitũ acutis incisuris serratis, ita vt singula folia pedẽ anserinũ referãt, semẽ copiosum ꝓducit. Nocentissima (vt diximus) herba est, nam presentanea morte sues interficit, quotquot illam in cibo degustarint: furiosũ solanũ vocari põt.

SAXIFRAGA.

Liberat infartum crassis humoribus hepar,
Et renum lapidem fortiter herba terit.
Illine, sic oculis prodest caligine cæcis,
Deducit febres corpore phlegma tuo.
Tum cerebrum purgat radix, nocumenta veneni,
Et stomachi tollit frigora, sumpta cruces.

Saxifraga. Officinis Saxifragia. Multæ sunt herbæ quibus saxifragiæ nomen est, quæ tamen officinis hoc nomine designatur, & in vsu est, in aridioribus & asperis saxosisq; agrorum limitibus reperitur, folijs quæ plerunque humi procumbunt rotundis & parum serratis, viti seu hederæ terrestri similibus, è quorum medio, nudus, iunceus, lanuginosus & rotundus prosilit caulis, cubitalis, in cacumine albis flosculis ijsq; frequentibus violarum formam referentibus emicans. Radix multis granulis coaceruatis, teretibus & purpureis, ac valde amaris constat. Vocatur Germanis Weiss

Sax: fragr

ſteinbrech. Sunt qui putarunt eſſe Empetrum, ſed falsò, etiam ſi empetrum veluti & polytrichon empetri ſpecies, ad frangendum lapidem idonea ſint: ſiquidem empetrum plantula eſt virgis tenuiſsimis humi procumbentibus, folijs lenticulæ ſimilibus, ſemine inter folia copioſo, & mirum in modum ſtipato: naſcitur in arenoſis locis, interdũ prope ripas fluuiorum: calefacit & ſiccat Saxifragia, quæ cũ radice coquenda eſt ad calculos frangendos.

SILER MONTANVM.

Sanatur ſumpto ſtranguria ſemine, fœtus,
Excutitur gelidi tuſsis anhela ſenis.
Soluit inæquales febres, colicosq́ue dolores,
Et tepido mulcet, cor, cerebrumq́ue foco.

Siler montanum. σέσελι. Gal. ſer montain. Paulo Æginetæ, Cordilion. Herba eſt folio fœniculi, vmbella Anethi, in qua ſemen oblongum, anguloſum, radix longa: triplex eſt, Maſſilienſe, Æthiopicum, & Cretenſe: calet & ſiccat ſecũdo. Semen eſt ad multa vtile: nam omnem frigidũ & aquoſum humorem exigit è corpore, vnde Epialus febris, præſertim ſi ſimul radicem in puluerem redigas, ſic facit ille puluis ad omnia interanea, cõcoctionem iuuat, tormina ſedat, tuſsim emendat, orthopnœæ auxiliatur, ſuffocationi matricis, vrinam & ſecundas prouocat, &c.

STOECHAS.

Infirmum ſolo confortat odore cerebrum,

Liberat

Liberat infartu corq́ꝫ, iecurq́ꝫ tuum.
Purgat & immundos toto de corpore succos,
Immensa extenuans corpora mole sua.
Pectoris ad vitium valet, ad neruiq́ꝫ tremores,
Ad data mortiferæ cuncta venena feræ.

Stœchas. στοιχάς. officinis, Sticas Arabica, aliud nomen non habet. Caudice est vti lauendula, breui & lignoso, sed tenuiore, ramulis tenuibus, comantibus in summo capitulis, siue spicis, densis, è quibus flores purpurei & pusilli exeunt: radix illi lignosa, semen subnigrum. Constat terrena, frigida, amara & astrictoria facultate, proinde aperit, extenuat, & confirmat viscera.

SENA.

Educit nigram bilem, & flauam, & pituitam,
Inde lien, cerebrum, corq́ꝫ, iecurq́ꝫ vigent.
Inde quoqꝫ impurus sanguis mundatus habebit
Longæua vitæ munus opemq́ꝫ tibi.
Quo valeas positis tristi de pectore curis,
Concessos hilari viuere mente dies.

Sena, Gallis, Sené d'Alexandrie. Planta est folia habens Coluteæ, Gallis, Baguenaudier vocatæ similia: non tamen vna res sunt Sena & Colutea. Siquidem hæc arbuscula est ramos spargens cubito longiores, folijs fœnogreci, aut Loti trifoliæ, ad impinguandum & lactis generationem idonea: sed sena planta est humilis, Grȩcis ignota, cuius folia purgant inno-

xie melácholiá & omnes humores superfluos
qua qui sæpe vtitur præter innumera cõmod
quæ percipiet, vix vnquam etiam incidet i
morbũ acutum. Sic autem potest apparari de
coctio: Accipe foliorũ senæ Alexãdrinæ (nan
inde nobis præstãtissima prouenit) vnciá vn
cũ dimidia, caryophillorũ numero duodecim
gingiberis contusi radicẽ vnã, seminũ anisi, fœ
niculi ana drachmas duas, coque in vino au
aqua pro ratione morbi supra tertias, mox pe
pannũ percola, & adijce saccharũ & ægro ma
nè & vesperi cubitũ ituro, da decoctiõis huiu
calefactæ cyathum mediocrem: ita vt poste
quatuor horas ieiunet.

SMILAX.

Sumito de frũctu cum frondibus, vt tibi fiant
Antidotum, cùm sunt toxica sumpta tibi.
Sed de radicis decoctæ pocula prosunt
Ad scabiem, podagram, tormina, ventris aquam
Ad Veneris fœdos, foris vrentesq; tumores,
Totius ad tabem corporis inde bibe.

Smilax. σμίλαξ. duplex est, Aspera. Gal. liss
ron picquant vocata. Br. steeckende winde. Fo
lijs est Periclymini rubi modo aculeatis: flo
re candido, qui in rotundos & rubros tander
abit acinos. Altera smilax leuis vocatur, qu
officinarum est Volubilis, aliàs Campanne
satis nota: est & smilax arbor Taxus vocat
Gal. yff. cuius baccæ sunt mortiferæ. Porr
sũ

ũnt qui ſmilacis aſperę lõgas illas radices Sar-ſam ceu Zarſam parillam vocent, hodie paſ-ſim venalem, priuatim in magno vſu ad conta-gium morbi Venerei, vulgo Gallici ſeu Nea-politani vocati, adeò interdum felici ſucceſſu vt ſint qui eas ligno ſancto (quod Guaiacũ vo-cant) præferant. Valent proinde ad incipien-tem Elephãti aſim, hydropem, podagram, con-firmant iecur, lienem extenuant, omnem capi-tis dolorẽ ex frigiditate ſanant: valẽt ad omnia interiora vlcera tam renum quàm veſicę, etiam & pulmonum, ad pthoem, atrophiam, & ſchyr-rhos iecoris, quas vires omnes habet quoq; (vt hoc obiter dicamus) Cina radix nuper inuen-ta & ex India allata, quæ hoc habet præ illa proprium quôd ea vtentes impinguat. Co-quitur vna vncia diſſecta minutim in aquę vn-cijs ducentis ferè ad tertias, & datur ſicuti Guaiaci decoctum.

SINAPI.

Elicit ex alto craſſam capitis pituitam,
Et manducato ſemine febris abit.
Sternutare facit puluis, duroſq; tumores
Digerit, ad coxæ ſufficit ipſe cruces.
Euocat in vitam pallentes morte veternos,
In calido lapidem, ſumito rene terit.

Sinapi. *σίναπι*. It. ſenapa. G. ſeneue, mouſtard e Br. moſtard. Ger. Senff. Hirſutis, lanuginoſis

nigricantibus & raphano ſimilibus folijs veſti-
tur: caulem habet prælongum & ſurculoſum:
florem ex pallido luteum, quo decuſſo ſiliquæ
ſequuntur ſemine refertæ, ita vt flore & ſemini
quod nunc pullum eſt, in alio album, imitetur.
Duo alia ſinapis agreſtis genera reperias in a-
gris, auenæ & raporum, prædictis haud diſsi-
milia, paulo tamen minora. Iam pręter comm-
morata adhuc alia duo genera in littoribus &
ad foſſas proueniunt, quorum alterum luteis
alterum candidis comat folijs: cætera nihil à ſ-
tiuo ſinapi differentia, niſi quòd non ſint tan
acria. Eſt & rucula marina, ſiue eruca, non ign-
bilis ſinapis ſpecies: calefacit & diſcutit ſinap

SCABIOSA.

Si phlegmon pectus, calor, aut tua viſcera torquet,
Aſthmaq; cum tußi, cordaq; febris habet.
Aut ſcabies prauo de ſanguine ſurgit, & orta eſt,
Peſtifera à ſuperis inſidiata lues.
Purior hinc ſuccus bis, terq;, quaterq; reſumptus,
Vt nihil hæc faciet ſint nocitura mala.

Scabioſa: ea eſt quam Ægenita Pſoram ap-
pellat, vt putant nonnulli. Ital. ſcabioſa. Gallis
Scabieuſe. Germ. Grindt kraut: calidæ & ſicc
eſt temperaturæ. Multa ſunt ſcabioſæ genera
quæ omnia folia gerunt hirſuta inſtar Buglo-
ſæ partim ex viridi nigricantia, partim verò a-
bicantia, cineraci'ue coloris. Prima itaq; & præ-
cipua ſcabioſa quæ plerunq; inter fruges pro-
uenit

uenit, radicem habet candidam rectam, folia adulta admodum laciniata ac multifida fiunt ad modum Valerianæ, eorum ſumma cacumina formam cuſpidis lancearum imitantur. Caulis teres & bicubitalis vertici inſidet, flos rotundus, ex cœruleo purpureus, aut Berſylici colore tinctus. Reperitur ſcabioſa flore planè cādido: aqua diſtillata ſcabioſæ prodeſt, tuſsi, omni interno apoſtemati, & aduerſus omnes thoracis affectus. Item ſuccus ſcabiei omnis generis, illitus cōfert, pſoræ item & lepræ & furfuribus capitis in balneo vſurpatus. Peſtemen kraut germanicè vocatur.

SPINA ALBA.

Cœliacis radix & tuſsi cocta cruentæ
Confert, vrinam prouocat eſa tuam.
Ex qua confectus confortat membra ſyrupus,
Infirmans rabidæ cūcta venena feræ.

Spina alba. ἄκανθα λευκή. Carduus beatæ Mariæ vulgo, Eryſiſceptrum quibuſdā. Barb. Bedeguar. Gal. chardon de noſtre damme. Brab. vnſer vrouwen diſtel. paſsim in hortis creſcit, folio magno & albis maculis notato. Siccat eius radix, & modicè aſtringit, ſemen tenuis eſt eſſentiæ.

SAGAPENVM.

Deÿcit humores craſſos, & pectora purgat,
Et ſucco lateris tollitur inde dolor,
Qui quoq; nocturnas tuſſes ſimul aſthmata ſoluit,
Incertos febris circuituſq; tuæ.

Inde & matricem poteris reuocare tumentem,
Et curui flatus perdomuiße coli.
Discutit hinc strumas, & aceto fusus in acri
Neruorum stimulos si cruciere simul.
Vtilis ad schirros flatu durosq́; lienes,
Ad lachrymas oculi, phlegmata lenta tui.

Sagapenum. σαγαπήνου. officinis Serapinum. Liquor est ferulaceæ herbæ calefaciens tertio, siccans secundo cum abstergendi vi quadam. Datur pondus scrupulorum duorum ex aqua decoctionis Nardi aut Gentianæ, ne ventriculo noceat. Emplastrum itidem ex eo foris appositum, maximum fert auxilium tussi vexatis & orthopnœa: humores enim lentos radicitùs euellit, in ischiadicis affectibus costæ super impositum.

STAPHISAGRIA.

Exterget lepram, fœdos necat herba pediclos,
Et tantùm capitis phlegmata lenta trahit.
Tormina sic longi sunt deponenda catharri,
Sic longæ dentis continuaq́; cruces.

Staphisagria. σαφὶς ἀγρία. Vua syluestris, pituitaria, & pedicularia. aliàs Gal. herbe aux poulx. Br. luyscruyt. Germ. Speichel wurtzel. Folijs est sex aut septem & paucioribus incisuris diuisis, caule terete, flore violæ formam repræsentante, eoq; subcœsio: hoc decidente, folliculos profert herbaceos, in quibus semẽ acre, triquetrum ciceris instar continetur: hoc se-

men

men purgat quidem, sed non citra noxam: commodius ex eo fiunt pastilli ad enecandos glires cum farina: acre est & exulcerans.

SISER.

Si lautus quæris stomacho indulgere tenello,
Et cupis ex horti vescier ipse cibis.
Nulla tibi radix sapido arridere palato,
Nec poterit succo gratior esse suo.
Sedat singultus, lentamq; inuitat orexim,
Et perimit ventris tormina cuncta tui.

Siser. σίσαρον. Gal. cherui, girolles. Bra. zuicker wortlekens. German. Zamrapuntzel, aut gerlin: quibusdam Secacul Arabum: simile quid Pastinacis est domesticis, cuius radix & saluberrima est & esu gratissima. At Plinij siser, seu sisarum, subalbidum est quoddam carotarum genus. Gallis, pastenade iaulne, vocatum Brab. pooten. Ger. Geel ruben.

STIBIVM.

Crescentem prauo consumit in vlcere carnem,
Natiuaq; tegit vulnera sæua cute.
Quod tamen artificum manibus miscetur & arte,
Diuûm præclaras munere donat opes.
Nam nocuos facili purgat molimine succos,
Vnde sibi febris, asthmaq; robur habent.
Vnde furor mentis, tumidi quoq; tormina ventris,
Et miserabilibus corpora plena malis.

Stibium. στίμμι. Antimonium officinis. Ital. antimonio. G. de l'antimoine. Bra. antimonie.

German. Spiesglăs. Laudatur ſcintillans, fragile: reperitur in Germaniæ fodinis. Cæterûm Stibium recentiorum Chymiſtarum arte cum Chryſocolla & alijs præparatū, & aliquot granorum pondere datum humores omnes prauos & per ventrem & vomitum eijcit, daturq; Aſthmaticis, febricitantibus, conuulſis, melancholicis, inſanientibus & peſte laborātibus mirando à doctis quidem effectu, ſed infando ab imperitis detrimento vitæ.

SPONDYLIVM.

Phlegma trahit ſemen potum, vitijsq; medetur
Matricis, iecoris ſincipitisq; tui.
Auribus infundens ſuccum de floribus, vlcus
Deterſis ſanas ſordibus inde latens.

Spondylium. Σφονδύλιον. Ruellio Panaia eſt ſylueſtris, alijs Branca vrſina germanica. Folio Platani aut Panacis, caule fœniculaceo, flore albo, pallente, radice raphani, ſed candidiore, ſemine Seſeli: naſcitur in paludibus & aquoſis.

SMYRNIVM.

Vtilis eſt vitijs renum, tumidoq; lieni
Succurrit febri, torminibusq; coli.
Subuenit & tuſsi, demum ſudoribus effert,
Quæ ſubijt iecoris phlegmone ventris aquam.

Smyrnium. Galeno eſt hypposelinum agreſte: Italis, macerone: alijs, paludalpium. Oſteritium vulgaribus. Gal. leueſche. Br. Peterſelie van

van Macedonien. Ger. Meisterwurtz. Radicem habet digitũ crassam foris nigram, intus candidam, à qua aureus & lentus odoratissimis, & qui fauces gustatus mordeat succus distillat. Folia illi viridia, & singula tereti insident coli, ac primùm in tres partes dissecantur rotundo ac circulari flexu se habentes, quarum singulæ postea binis aut trinis, sed dimidiatis incisuris diuisæ sunt, per ambitum verò omnes serratæ. Caules emittit rotundos, geniculatos, vmbellis multis candido flore conspicuis veluti anisum & coriandrum emicantes: flosculi in semen nigrum & latum desinunt. Ostritium siue smyrnium, angelica & laserpitium, pares penè vires habent: & ex his aqua distillata gratior est & ad hos affectus validior.

SOLIDAGO.

Nine natiua citius nil vulnera carne,
Vlcera nil citius vel sinuosa replet.
Roborat & laxum iecur, obstructumq́ relaxat,
Et febrem lento quæ nocitura pede.

Solidago sarracenica. Ceratophilax aliàs, & herba fortis. Germanis, Wundtkraut. In vmbrosis ac vliginosis prouenit syluis ad viri quádoque proceritatem assurgens, caulem profert teretem, leuiter cauum, alium quidem purpureum, alium verò viridem non secus atque Artemisia, folijs per ambitum serratis, Sa-

liciq; ſimilibus. Aeſtate luteo cacumina emicant flore radiato, qui tandem in pappos euolat: radix fibrata eſt, quotannis rubentes emittens ſparagos. Solidago ſiccat & ad vulnera curanda præcipuas vires habet.

STACHYS.

Elicit vrinam, menſes, tardasq́; ſecundas,
Ante ſuum fœtus ſed vocat herba diem.

Stachys. στάχυς. Gal. ſauge ſauuage. Brabant. rieckende andoren. Frutex eſt albo Marrhubio ſimilis (de quo diximus) rara habens folia dura, hirſuta, odorata: calefaciens & ſiccans tertio.

STYRAX.

Immiſſa in nares nouit ſedare catharrum,
Id quoq; ſub duro dente ſubacta poteſt.
Vnguentum fiat cum cera & maſtice miſtis,
Quo ſtomachi pellas, frigora cuncta tui.
Suſcipiat mulier fumum ſub partibus imis,
Menſtrua ſic laxo ventre recluſa fluent.
At potis eſt tuſsi ſuccurrere ſumpta diurnæ,
Reddere vel ventri mollia cuncta tuo.

Styrax. στύραξ. officinis, Storax calaminaris. Lachryma eſt arboris malo cotoneæ ſimilis, quę è Pamphylia olim in Iūcis adferri ſolebat, hinc factum vt Calaminaris appellaretur. Calefacit, ſiccat & emollit. Storax rubeus dictus ex melioris eſt genere.

SVL-

SVLPHVR.

Consumit, soluit, trahit, & coquit omnia cruda,
Asthmaq; cum tussi tollitur inde graue.
Ad scabiem, lepras, pruritum corporis, vngues
Scabros, ad quæuis sæua venena feræ.
Vt venter tumeat minus hinc tibi balnea fingas,
Ad spasmum, podagram, membra perunge, valet.

Sulphur. θεῖον. Ital. solphore. Gall. soulfre. Bra. solfer. Ger. Schwebel. Est natiuum, est & factitium siue mortuum quod ignis perficitur coctura: vtrumq; notum. Gignitur ex pingui quadam terræ substantia humido compaginata: vim habet attractoriam, vnde incorporatum cum terebinthina & melle, curat scabiem ex phlegmate salso, foras materiam attrahendo: fit ex eo oleum cum tartaro ad insanabilia ferè vlcera potens.

SESAMVM.

Creditur ad magnos oleum conferre dolores
Neruorum, capitis, phlegmonis atq; coli.

Sesamum. σήσαμον. Ital. sesamo. Gal. de la guglione: semen notum est officinis, sed non ipsa planta quæ apud nos non seritur: simile est Milio, sed crassius & altius, folia fert rubra cũ flore viridi, producitq; in siliquis semen veluti papauer, pingue quidem, hinc stomacho ingratum: fit ex eo oleum.

SCILLA.

Assa cit vrinam: tussim, suspiria tollit,

Et tumidi nouit soluere ventris aquam.
Liberat & morbo pueris oblata caduco,
Et vim quartanæ deÿcit ipsa tuæ.
Si vocat ad Cymbam vox importuna Charontis,
Et nullo lachesim flectere iure potes,
Hinc tibi desumpto coges medicamine diuos,
Vt fati renouent fila resecta tui.

Scilla. σκίλλα. officinis, squilla. Italis, squilla, Gall. oignon marin. Braban. zeeaiuyn. Germ. Meerzwibel. Caulem fert primum, luteo emicantem flore, eo decidente folia consequuntur grandia, longa & lata, radix eius cæpę modo multipliciter tunicata, corticosaq; cernitur, & hodie notissima est: quemadmodum Pancratium altera Scyllę species. Ex radice scillæ desiccata vt decet, aut præparata, fit acetum scilliticum, ad innumeros morbos vtile si quis eo quotidie vtatur sumendo vnciam vnam paulo plus aut minus. Sic enim nunquam faucium oris've partes remollescent, os ventriculi bene habebit, oculi acutissimè cernent, nullus flatus vnquam excitabitur in ventre, bene coloratus deges, nihil superuacanei in corpore residebit non stercus, non pituita, non vrina: aluus lubrica erit, & purgatio totius corporis etiamsi in ossibus sordes hæreant. Phtisicos nouit Galenus etiam deploratos hoc medicamine restitutos. Morbo comitiali incipienti semper prodest, ad podagrá, articulorú morbos, iocinoris

lienisq;

lienisque duritias facit vehementer, imbecilles recreat, corpus sanum reddit, & facit ad longam vitam. Cauendus tamen eius vsus in internis vlceribus, & febribus vehementibus: sunt qui eam assant, alij siccatam potius dant.

SAL.

Vindicat humentes fœda putredine carnes,
Ad flatus ventri fit cataplasma potens.
Illitus anginam curat cum melle & aceto,
Affrictu gelidus tunc quoque cessat hydrops.
Obsistit tyrio simili ratione veneno,
Tum sacros ignes, vlcera saua regit.

Sal, ἅλς. Italis, sale. Gallis, du sel. Brabantis, sout. Germanis, Saltz: sal nitrum, nitrum aut spuma nitri, Barbaris Baurach vocatum, hodie non habemus. Halonitrum, Gallis Alatron, Brabantis, Salpeter die aen de mueren wrast, vocatur: vnde cum alijs fit nitratus puluis & tormentarius dictus: salem Armoniacum siue Ammoniacum vix hodie reperimus. Factitio vtuntur Chimistæ & aurifabri. In medicina igitur vtimur sale torrefacto, aut sale gemmeo, fossili, seu saxeo sic dicto,

SCORDIVM.

Letifero ex ficis obsistit sumpta veneno,
Difficilem vrinam, menstrua tarda mouet.
Sumitur ad veterem tussim, stomachique dolores,
Sed foris vlceribus, subditur herba nouis.

Scordium, σκόρδιον. Ital. ſcorodo. Gall. chamara. Brabant. water looke. German. Lachen. knoblauch. Caules illi quadranguli ſunt, ac prope faſtigia purpurant, vtrinque rugoſis & ſerratis folijs Gamandreæ vulgari conſimilibus, odore ingrato, & allium æmulante. Inter folia & caules, flores erumpunt ſubrubri è folliculis exiguis exeuntes, ſicut & floſculi Vrticę, quibus decedentibus minutiſsimum in ijs vaſculis reperitur ſemen, radicem obtinet capillatam: gaudet paluſtribus locis, Triſſaginem eam nonnulli vocant. Officinæ hactenus vſæ ſunt pro vero ſcordio, Alliaria dicta herba ſiue allio ſylueſtri, quod Pandectarius Pedem aſininum vocat, Brabant. Loockſonder loock dicitur.

SARCOCOLLA.

Vlcera deſiccat, terget, tum carnibus implet,
Atq; oculi fluxus nocte ſubacta premit.
Educit craſſos humores pectore, ſumpta
Mundat, pulmonis ſic graue tollit onus.

Sarcocolla, Σαρκοκόλλα, Lachryma eſt arboris in Perſide naſcentis, purgans, & ſine mordicatione deſiccans, medicamen certè ad vlcera commendatiſsimum, ſi cum pari pondere mellis miſceatur. Valet etiam & ad Ophtalmiam & vlcera oculorum, ſi in Collyrium redigatur. Debet eſſe amara, alioqui adulterium ſenſit.

SAPONARIA.

Radix vrinam, fœtus, tum menstrua, bilem,
Quæ flauo tingit, membra colore ciet.
Expellit tußim, lepram, durumq́; lienem
Mollit, anhelanti commoda planta seni.
Ad lapidem renum, diraq́; ad toxica Circes
Ad febres, pestem sæpe bibenda tibi.
Illita prægelidos manuumq́; pedumq́; tumores
Soluit, & Anthraces perdomuiße potest.

Saponaria, Στρούθιον, Barbaris Condisi, Officinis Lanaria, & herba fullonum: saponaria deniq; quòd saponis vicem expleat in lauandis lineis pannis. Non est absimilis Cruciatæ vocatæ herbæ. Frutex est speciosus, caule piloso & geniculato, folijs angustis genicula ambientibus. Sic hæc planta quoad folia, flores, caules, & genicula simul & radices attinet, Violæ agresti simillima est, & proinde illius species: illi enim singulis geniculis bina folia acuminata etiam prodeunt, oliuæ similia è regione inuicem opposita, inter quæ bina alia sed longè minora spectantur. In cacumine caulis multæ rosci coloris violæ quadrifoliæ, radix subpallida.

SCAMMONIA.

Expurgat bilem, vomitum tamen vsq; fatigat,
Et nocuo febrim sumpta calore mouet.

Suscitat & radix ventrem, iecoriq; molesta est,
Succus & occulto cor ferit inde modo.
Quare age fac gelidis, simul astringentibus, atq;
Rebus odoratis vt medeare malo.

Scammonia. Planta est, ramos emittens ab vna radice trium cubitorum, folia habet Helzinæ aut Conuoluuli similia, florem candidum, radicem prælongam, graui odore, succoq; grauidã. Ex ea igitur extrahitur succus, quem scammonium appellamus: sed præparatus, vt decet Officinis Diagridium vocatur. Adulteratũ est admisto Tithymalo, quod saliua temperatum statim lactescit, melius, quod linguã non ita vrit, quod leue, nitidum. Vlcerat diagridium intrò assumptum, & cor lædit, corrigitur malitia admistis mastice & cordialibus.

SION.

Frangit vesicæ lapidem, mensesq; reducit
Sit cibus, & fluxus quoslibet inde premes.
Si maculis faciem quereris fœdarier, inde
Smegmata de succo sunt facienda tibi.

Sion, Ϛίον. Italis, Sio. Gallis, Berle. Brab. water eppe. Ger. Wasser bungẽ. Folijs est crassis, nigricantibus, pinguib. ac succulentis, vt eatenus fabæ folia imitetur: vnde nonnulli aquaticam fabam eam nominarunt, flores fert non in vertice caulis, sed in surculorum vtrinque adnatorum fastigijs, eosq; cœruleos, gu-

stu

ſtu ſubamara eſt herba veluti Creſsio fontanus, quare acetarijs à nonnullis adhibetur. Alterum genus magis exiguum eſt fontibus ſimiliter & aquis gaudens, folijs Pulegio ſimilibus, caule quadrangulo, Anagallidi per omnia ſimili, ſine odore & ſapore. Anagallis aquatica dici poteſt. De Naſturtio ſiue Siſymbrio aquatico diximus antea. Eſt & herba ſanctæ Barbaræ Belgis frequens in acetarijs, vocaturque Naſturtium ſiue Siſymbrium hybernum, Dicoridis σιδοβουνιον, ſi eruditiſsimo, & rei herbariæ omnium noſtri temporis peritiſsimo noſtrati Remberto Dodoneo credimus.

TAPSVS BARBATVS.

Inteſtinorum rupturis, tuſsibus offer
Ad lateris, renum, pectoris omne malum.
Ad tremulos neruos, ſimul vrgentemq́; teneſmum,
Ad febrem quarto quæ reditura die.
Compeſcit ſtrumas, manuumq́; pedumq́; dolores,
Aſtringit, formæ eſt illine grata tuæ.

Tapſus barbatus, φλόμος, Officinis Candela regis. Verbaſcum Latinis. Ital. Tacobarbato. Gallis, Bouillon. Brabant. wollebladeren. Germanis, Wulkraut. Tria enumerantur aut plura Verbaſci genera, ſed quod in his maximum eſt & notiſsimum, longam habet, rectam, rotundam & lignoſam radicem, folia quę prima erumpunt, humi iacent, admodum

lata, necnon oblonga, ex cinereo albicantia pilosa, Elenijque folijs molliora. Secundo primum anno in caulem exit, candida medull intus refertum veluti sambucus, eumq; non nunquam viri altitudinem attingentem, ac a imo ad summum folijs ex ordine vestitum. Flores fert luteos, lanuginosos & odoratos quinis foliolis distinctos, qui caulem circum quaq; ad fastigium vsq; ambiunt, quibus suc cedunt teretes & pilosi globuli, copioso semi ne referti: sic non immeritò Candelę regiæ n men obtinuit. Aqua Verbasci distillata ex flo ribus præsertim, & quotidie pota, confert co uulsis, fractis, ruptis, & contusis, tussientibus apostematibus, internis doloribus & inflam mationibus. Rubores faciei illita statim tolli ambustis, scabiei, impetiginibus efficaciter a hibetur. Ad omnes tumores tam oculorum quàm genitalium herba decocta præstans est quin & ad calidam podagram.

TRITICVM.

Frumenti furfur acri decoctus aceto,
Mollia quæ turgent vbera, lacte facit.
Dissoluit colicos, stomachi, vrinæq; dolores,
Et tumidum tollit sæpe lienis onus.
Fermentum tenuat callos, tubercula quæq;
Concoquit, & duro robore cuncta trahit.
Emollit panis tum phlegmone concita mulcet,
Hoc posita pascit corpora glande Ceres.

Triti

Triticum, πυρὸς. Ital. Formento. Gall. forment. Brab. terwe. Germ. Weitzen, notum est: huius generis est robus frumentum pondere & nitore præstans. At Siligo pondere ab illo deficit, Brabant. winter terwe vocatur, veluti si dicas Hyemale triticum, quemadmodum triticum trimestre vel Setanium Sommer terwe dicitur. Secale verò etiam huc spectat, Gallis vocatur Siegle, Braban. rogghe. Furfur, Barbaris Cantabrum, mollificat, digerit, & eius decoctio enematibus ijs est apta, quæ fiunt ad colicam. Fermentum verò ex tritico calefacit, extrahit, maturat, callos pedum, clauosque priuatim extenuat.

TITHYMALVS.

Sumito de succo vt purges cum phlegmate bilem,
Sed vomitu turbat cor, stomachumq; tuum.
Illine, deradit quacunq; ex parte capillos,
Tum vi verrucas nil potiore secat.
Subditur hinc pessus, clyster quoq;, menstrua ducit,
Et ventris vermes subtrahis inde tibi.

Tithymalus, τιθύμαλος, Lactaria herba. Italis, tithymala. Gallis, herbe au laict. Brabantis, wolff melck. Septem tithymalorum enumerantur genera apud Dioscoridem, quanquam priora duo Characias mas, & Myrtites fœmina, Helioscopius item tertium genus, denique Platophillos quod septimum est, & apud Germanos vix reperiantur. Notissimus

Cyparissias, vulgaris illa Esula minor Offici-nis, quæ alto exilit caule, & purpurascentibus flosculis, quam etiam Alscebram vocant Arabes, circa itinera & in collibus frequens. Notus est & Helioscopius Tithymalus sub illis esulis binis comprehensus, quæ folijs portulacam repræsentant, vnico caule & rotundo. Dendroides quoque nec infrequens est, sub nomine magnæ illius esulæ, quæ amygdalina gerit folia. Cæterum de tripolio mira est controuersia, quod Auicennæ Turbit videtur, nobis ignotum. Est interim ipsi Mesuæ & suis turbith, quod Alypum esse dicunt. Est & officinis quoddam turbith, quod Tapsiæ aut Pityusę radicem esse affirmant. Plura de tithymalis vide apud Matthiolum, Dodoneum & Tragum.

TRIFOLIVM PRATEN.

Phlegmona maturat, dum candida menstrua sistit.
In viduo hanc plantam fœmina sume thoro.
Sis quoq; de succo febriles vertere motus,
Aut dare serpentum morsibus inde memor.

Trifolium pratense, τρίφυλλον. Ital. Trifoglio. Gal. treffle de prez. Brabant. claueren. Germ. Klee. Triplex est, vnum maiore folio, alterum acuto, tertium minutissimo. Hæc tria videre est in pratis, nunc candido, aliàs flore purpureo, interdum luteo, refrigerāt & siccant cum quadam acrimonia.

TRI-

TRINITATIS HERBA.

Asthmate pulmones, pituita liberat arctos,
Ad vitium scabræ sumitur herba cutis.
Flos quoq; fert morbo auxilium, mihi crede, caduco
Illinc & febres ducta repellit aqua.

Trinitatis herba, φλόξ, Viola flammea aut Iacea aliàs. Gallis, Pensee. Braban. Drie vulcheit bloemen. German. Freissan. Fore est diuersicolore, & in hortis notissima. Syluestris illi est similis, nisi quòd flosculos minores procreet, candidos & luteos, interdum cœruleos & luteos. Vtilis est herba trinitatis ad ramices intestinorum, sed & eius stillatitia aqua, valet quoque ad prouocandum sudorem, ad purgandum pus, quod in thorace est, ad febres & inflammationes internas pro pueris, temperata est.

THLASPI.

Nil suppuratos melius perpurgat, at inde
Viuidus è venis ducitur vsq; cruor.
Rumpit & abscessus internos, menstrua pellit,
Sed fœtum in tepido ventre caueto necat.

Thlaspi, θλάσπι, Nasturtium tectorum seu sinapi album aut rusticum dicitur, Gall. seuene sauuage. Brab. wilde kersse. Germanis, Wege kers & Meerrettich. Folia habet angusta, in terram versa, subpinguia, in cacumine diuisa, cauliculum tenuem, florem subalbidum,

ſemen rotundum, lato folliculo & lentigine vaſis effigie, Arabibus (vt quibuſdam placet) Scytare ſeu Seitaragi Indum dicitur, alijs Lepidium maius. Nec tamen eſt burſa paſtoris. Calefacit & ſiccat.

TVSSILAGO.

Phlegmonis interni ſi ſemper adureris igne,
Ignis ab epota hac mitior eſſet aqua.
Sis igitur ſiccis memor hinc pulmonibus imbrem
Excipere, vt vitæ iam pereuntis opem
Phlegmata ſubducit radix ecligmate ſumpta,
Expurgat tuſſim, menſtrua ſera trahit.

Tuſſilago, βήχιον, Officinis farfara & vngula Caballina. Italis, Tuſſilagine. Gallis, Pied de cheual, & pas d'aſne. Brabantis, Hoef bladen. Germanis, Brandtlattich, & roſs hub. In initijs, Petaſitis folijs, folia quàm ſimillima habet, Maio menſe flores profert luteos, cauli hirſuto & lanuginoſo inſidentes, qui mox in pappos euaneſcunt, ſic caules nudi relinquuntur, & mox caduci marcent. Aprili menſe folia prodeunt inferiore ſui parte quâ terram ſpectant, cinerei & ſubalbidi coloris, vngulæ equinæ ſimilia. Radix alba, culmum craſſa, gaudet riguis & aquoſis locis, frigida eſt & humida. Herbæ aqua diſtillata quatuor (per vices) menſura cochlearium pota, inflammationibus iecoris, venenoque ardentis febris

bris succurrit, erit efficacior, si adijcias sambuci flores.

TEVCRIVM.

Ob tumidum malè respiras si fortè lienem,
De succo imminuet terq; quaterq; cape.
Siue tibi ex morsu serpentis debita vitæ,
Atropos euersa fila retorquet acu.
Seu cor pestifero, sub febriliq; calore
Palpitat, & patiens æstuat inde iecur.

Teucrium, τεύκριον, Eren breiss vulgariter Germ. vocatur & Vihewurtz. Herba est quæ serpendo sese propagat, folio longiori ac asperiori, minutis diuisuris serrato, flore spicato & exiguo colore cœruleo ex lacteo, purpura leuiter admixta, semen illi exiguum, loculamentis paruis conclusum veluti Bursæ pastoris. Virgæ eius & flores frequentiores è lateribus, quàm primario caule prorumpunt. Amara est herba & Chamædris species. Veronica dici potest. Eius aqua distillata vnicè facit ad ardores febrium acutarum & pestilentialium, si modò prius vino maceretur per vnam noctem. Si Teucrium hoc Veronica est, quæ Gallis, Herbe aux laders dicitur, cuius caulis in mare rubeus est & lanuginosus, folia hirsuta, flos purpureus, in fœmina folia rotunda minimè incisa cum lanuginoso caule, si inquam est Veronica, profectò miram habet vim contra scabiem pota eius decoctio, vel stillatitia aqua, item contra febres, & om-

nes pulmonis morbos, ſplenis quoque & matricis, calculum comminuit, peſtem & icterum ſudore expellit, ſanguinem mundat, vertigini auxiliatur.

TRAGACANTHA.

Lingitur ad tuſſes gummi hoc, vocemq́; retuſam,
Sic graue pulmonum ſæpe repurgat onus.
Reſtituit vires diſtillantesq́; catharros
Siſtit, & eſt oculis grata medela tuis.

Tragacantha, τραγακάνθα, Hirci ſpina aliàs. Planta eſt, è qua ferro inciſa gummi diſtillat, quod Draganti vocant Officinę, copioſum in India. Hæc lachryma optima cenſetur, quæ pellucet, gracilis, leuis & ſyncera eſt. Datur cum melle ad renum dolores, eroſiones veſicæ admixto cornu cerui, quin & ad oculorum medicamenta expetitur, & tuſſes, ſiccat, & emplaſticam vim obtinet.

TRIFOLIVM ODOR.

Decoctum febres, pleuritim diſcutit omnem
Vrinæ facilem reddit & ipſa viam.
Qua ſimul hydropem mulcebis & atra venena,
Et capitis morbos, articuliq́; graues.

Trifolium odoratum, Dioſcoridis eſt Cytiſus (vt quidam volunt) Germanis vocatur Sibengezeit. Folia illi terna primo exortu ſingulis inſident pediculis, ſed magis acuminata & cine-

cineracea. Iulio mense appropinquante in caulem sese attollit teretem, cauum, leuem & candicantem, multis virgis tenuissimis brachiatum, folijsque trifolij acutis vestitum. Adnata verò singula flore emicant ex purpura cœruleo. Flos quisque in aculeatum Echinum velut & Garyophillatæ desinit, in quo semen teres, fuluum, radicem habet rectam, breuem, albam: tota planta picem redolet, excepta radice, sapor illi amarus.

TANACETVM.

Interimit vermes, succusq́ in pocula sumptus,
Stillantem vrinam, largius ire facit.
Nodosæ radix sic confert cocta podagræ,
Febris & accessus impedit herba tuæ.
Illita matricis fastum, reprimitq́ tumorem,
Et quæuis stomachi tormina longa tui.

Tanacetum. Italis, Tanaceto. Gallis, tannesie, Brabant, wormecruyt. German. Reinfarn, Athanasia aliàs. Bicubitali est caule, folia habens maioris Millefolij, flores aureos, odore graues. Non est Ambrosia, hæc enim folio est rutæ, pusillo, radice sesquipedali. Vide an sit artemisia monoclonos, an Anthillis, quod nõnulli contendunt. Est aliud tanacetum acutum seu album dictum, folijs acutis, angustis, serratis, angustifoliæ salicis similibus, non adeò latis, flos illi radiatus, candidus, Millefolio similis.

TESTICVLVS CANIS.

Astringit ventrem potu. perpurgat at Orchis
Vlcera pascenti concamerata sinu.
Cætera per thalamum facient vt pectore nuda
Discurrat solito gratior ipsa venus.

Testiculus canis, Orchis. Officinis Satyrion, sed impropriè: dissimili enim sunt effigie, licet non imparibus viribus: Veri Saryriones vix hodie reperiuntur, quibus vnica tantùm est radix, rotunda, fulua, intus vt ouum candida. Contrà testiculis canis duplex est radix, quorum altera solida & vsualis est, altera flaccida. Porrò eius multæ sunt species, vna ab excellentia Orchis serapias dicitur, cuius radix ad multa est vtilis, folio Porri, latiore, oblongo, pingui, caule palmeo, flore penè purpureo, radice testiculis simili. Reliquæ sunt folio circa caulem molli, oleæ aut (vt vult Dodoneus) Scillæ simili, flore purpureo radice bulbosa. Est & testiculi canis species, Palma Christi vulgò dicta, Arabibus Digiti citrini, aliàs & testiculi Vulpis, quæ in suis radicibus manus effigiem exprimunt. Duplex est & hæc planta, maior & minor: huius siccati flores præsentaneo sunt remedio aduersus dysenteriam, imò & eius aqua distillata. Maioris verò granum tritum, & ex vino epotum per nouem dies medetur morbo caduco.

THY-

THYMVS.

Soluit concretum, decoctum in ventre cruorem,
Phlegmaq́; cum bile est subtrahere inde potens.
Ad stomachi flatus, lateris coxæq́; dolores,
Ad tumidos testes, menstrua tarda datur.
Hinc quoq; cum tussi poteris lenire podagram,
Illinc, verrucas & resecare tuas.

Thymus, θύμος. Italis, Timo. Gall. thym. Germanis, Welschel quendel. Duplex est albus & niger, sed à nigro est abstinendum, nam bilem gignit & temperamentum corrumpit. Thymus folia habet exilia, aliàs Serpyllo similia. Satureia, Gal. Sariette dicta, Braban. lochte kol. Ger. Zweibel hysop, aliàs & Cunila, in hoc à Thymo differt, quòd illa maior & magis fruticosa est, folia habet quoq; latiora, & longiora flos vtriq; roseus, & veluti ex purpura candicans. Calefacit thymus & siccat ordine tertio, quo vtuntur nonnulli pro alypo, purgat enim bilem & pituitam.

THAPSIA.

Attrahit ex alto succus, bilemq́; repurgat,
Deciduam affrictu, restituitq́; comam.
Longos pulmonum, laterumq́; pedumq́; dolores
Dissipat, hinc facies sæpe perun cta nitet.
Dissoluit quosuis cum sulphure mixta tumores,
Et scabiem capitis, stigmata nigra simul.

Thapsia, θάψια, Pityusa Actuario, Ferulago a-

liàs & ferula ſylueſtris, natura tota ferulæ ſimilis eſt, folijs fœniculi, vmbella anethi: huius radicis cortices nonnulli pro turbit vendunt. Acris eſt & potenter calida Thapſia.

TRISSAGO.

Decoctum ſoluit tuſſes, durumq́; lienem,
Promouet & partus, menſtrua ſera ſimul.
Vlcera perpurgans, oculos caligine mundat,
Ad peſtis ſuccus ſufficit ipſe dolos.
Terget & incidit, quæcunq́; recurrere febris
Dicitur, alterna pellitur inde die.

Triſſago, χαμαίδρυς, Chamędrios Officinis. Febrifuga, Serratula & Quercula minor aliàs. Ital. Chamedrio. Gallis, Germandree. Braban. gamanderlyn. German. Gamander. Chamędrys tria ſunt genera. Eſt enim primò illa planta nobilis Chamædrys, cuius veteres mentionem fecerunt, quæ in montibus ſub iunipero, in muſco, lapidoſis collibus, & terra præcipuè limoſa prouenit, dodrantali altitudine, radice hinc inde ſerpente, candida, ex qua multi tenues ſurculi exiguis foliolis, binis per interualla ſeſe mutuò reſpicientibus effigie, & diuiſura Quercus veſtiti exeunt. Floſculi illi ſunt purpuraſcentes, odoratiſsimi. Sunt adhuc duę Chamædryos vulgaris ſpecies, vna quę maior eſt in aſperis & ſaxoſis montibus reperitur, radice lignoſa, capillata, è qua coliculi dodrantales ſpicatis floribus, vt in Betonica cœruleo colore

olore comantes consurgunt. Folia instar serrę liuisuris incisa sunt, & flos non in vertice mo- e aliarum, sed in latere caulis prodit, quod no- andum. Altera chamædrys & officinis vsitata nuenitur passim in hortis graminosis, cœru- eis flosculis, anagallidi similibus ac paulo mi- noribus, instar arbusculæ planè erigitur, nec vt uperior illa per terram sparsa iacet: valet ad mnnia ad quæ Betonica.

TEREBINTHVS.

ußibus & tabi prodeſt ecligmate sumpta,
Cruda coquit, purgat pectus & esa tuum.
qualentem fœdis humorem renibus aufert,
Emollit ventrem, vulnera carne replet.
Discutit, atq; caua virus deterget ab aure,
Calchanto lepram tollere mista solet.

Terebinthus. τέρμινθος. Ital. trementina, vel herebinthina, Bra. Termentijn Boom: arbor ſt etiam in Italia nota, quæ resinam terebinthi nam appellatam fundit omnium post Masti- hen præstantissimam, quæ commodè datur enibus ad eorundem ventrem soluendum le- niter & sine periculo, resinæ omnes calefaciūt, discutiunt, purgant, emolliunt, quædam etiam ſtringunt.

THVS.

Hoc bene natiua renouantur vulnera carne
Et leni gaudent vlcera tecta cute.
Sanguinis effluxus quacunq; ex parte retundit,

Quæ

Quasq; oculis sordes cernis inesse luit.
Sed sanus qui thus pro consuetudine sumet,
Corruet in stygias mox furibundus aquas.

Thus. λίβανος. Ital. incenso. Gallis, encens. Braban. wierok. German. Weyhrauch. Planta est, ex qua qui emanat liquor thus etiam dicitur, officinis Olibanum. Cæterùm qui ex ea guttæ rotunditate pependit liquor, thus masculum, præstantissimumque vocatur. At micas concussu elisas mannam thuris vocát: astringit thus, sed multo valentius thuris cortex: manna omnium inualidissimè. Est porrò alia manna (ne quis decipiatur) sed solutiua illa, ab hac longe diuersa: roscidus enim est è cœlo liquor feruentissimis potissimum diebus nocte decidens, nunc in grumos coactus, nunc in mel eliquatus, Drosomeli vocant aliàs, Melliginem quidam: Plinius Saliuam syderum. Brab. honichdawe. Eius vncia deuorata, interdum amplius, leuiter ducit aluum, etiam in pueris & prægnantibus, & purgat sanguinem.

VERBENA.

Roborat infirmum caput, effluxusq; capilli
Sistit, & has pestem mansa vigere vetat.
Decoctum colicos cruciatus sumito placat,
Hinc tepido leuior vere podagra redit.
Sic quoq; vel renum, lapidi lateris q; dolori,
Et quartanæ sic auxiliare tuæ.
Quin sic cancrosæ crescentia germina lepræ,

Sicq;

Sicq; intestini flumina siste tui.

Verbenaca, siue Verbena: duplex est, mas & fœmina, recta & supina. Ital. verbena. Gal. veruaine. Bra. ysercruyt, quoniam ferrum ea adurescit. Prima igitur quæ ἱερὰ βοτάνη, περιστερέων passim ad sepes & muros, locisq; incultis luxuriat, radice est capillata, caule tenui & quadrato, folia habēs tribus incisuris diuisa instar cristæ gallinaceę, vnde nomen quoq; obtinuit, auersa parte qua terram spectant albicantia, flosculos gerit ex albo & purpura versicolores in acumine coliculorū, quibus pereuntibus proximi quiq; orbiculi florere incipiūt. Altera quę fœmina est, luteos profert flores, cuius herba, caulis, & flores angustiores sunt albo sinapi tantùm, alioqui ad sinapi genùs referendum. Non differt igitur recta verbena à supina, nisi in hoc, quod hæc resupinatis est caulibus & foliosa, illa verò recto est caule, folijs rarioribus: illa planta odore est iucundo, huius semen odore est ingrato: vtraq; desiccat & astringit, discutit quoq; omnium maxime, tum pesti manducata resistit. Sunt qui se aliam fœminam verbenam inuenisse putant, ostendunt enim plantam quandam non disimilem priori quoad folia, sed quę comat flore rotundo non stellato, conizæ simili, ita vt flores singuli è rotula viridi instar oculi purpureis veluti supercilijs per ambitum ornati eluceant. Semen illi binis aculeis adhęrescens, odore ingrato.

VIOLA.

Emollit succus ventrem, calidosq́ dolores
Mitigat, & placido membra sopore beat.
Hunc dato phlegmonibus iecoris, stomachiq́;, lienis,
Et cholerae ardori, febribus inde tuis.

Viola. ἴον πορφυροῦν. Viola nigra aliàs, purpurea, aut quadragesimalis. Ital. viola mammola. Gal. violette de quaresme, ou de Mars. Brab. Mertsche violettekens. Ger. Mertzen violen. Duo sunt eius genera, quorum alterum & praestantissimum purpureo seu nigricante potius interdũ etiam (sed raro) candido flore simulq́; odorato, alterum verò cœruleo & inodoro flore conspicuum apparet, ideoq; syluestre hoc appellatur, Viola canina aliàs: frigida est Viola primo ordine, humida secundo, omnibus calidis affectibus conducens. Viola porrò Autumnalis seu Calathiana vocata, Brab. Duysentscone. Germ. Lungenblume. Item viola Mariana, & Rapum syluestre vulgo, Gal. Mariettes dicta, nihil cum nostra hac affinitatis habent, nec etiam illarum vires cognitae sunt.

VISCVM.

Discutit, emollit, trahit, & tubercula quaeq;
Maturat, moles inde lienis abit.
Sic foeda scabie, & lepra, & lentigine corpus
Foedatum, nitida contegis inde cute.
Quod legis è Quercu morbum curare caducum,
Viribus occultis creditur esse potens.

Viscum

Viſcum. ἰξὸς. Ital. viſch o. Gal. guy. Braban. ...arentacken. Ger. Miſtel. Viſcum ſatum nunquam naſcitur niſi per aluum auium redditum ...aximè Palũbis & turdis. Cæterùm in noſtro ...eptentrione non in quercubus aut fagis tan...m, ſed malo, pyro, populo nigra, ſalice, &c. ...ſcum prouenit. Sed quacunque in arbore gi...natur eiuſdem ferè formæ apparet, frutico...m, geniculis crebris interſtinctũ, ſurculiſq; ...equentibus brachiatum, herbacei coloris, fo... pingui, ſolido & craſſo, floret initijs veris, ...ſculos fundens luteos, qui in baccas abeunt ...retes, candidas, intus lento, albo, & viſcoſo ...amore plenas: hyeme Turdis viſcum eſt ci...s, æſtate inſidiæ & pernicies: è corticibus ...amq; huius plantæ viſcum illud fit glutino...m quo aues capiuntur: optimum eſt quod in ...ercu naſcitur, & ex illi9 granis fit: quãquam ...è cottice plantæ quam Itali Agrifolio vocãt, ...ex arbuſcula quam ijdem Lantana vocant fit ...oq; admodum præſtans viſcum: cui viribus ...r eſt gluten piſcium, Ichthyocolla dictum, of...inis Colla Buccinæ.

VERMES.

...erus hinc ſumpto ſanatur puluere morbus,
Vulnera ſic coeunt interiora ſimul.
...entibus auxilio eſt ſuppone dolentibus, inde
Tractum oleum ad podagram, cõmoditate vigẽs,
...l ſurditatem, caſiq; pericula nerui,
Adq; oculi tenebras, ad maculaſq; tui.

Vermes

Vermes terreni. Lumbrici terræ. noti ſunt. Ital. Lambrichi. Gall. vers de terre. Brabantis, worme, Germ. Rägen wurm. fit inde oleum in balneo mariæ potentiſsimum ad dolores neruorum & iuncturarum.

VLMVS.

Sumitur expreſſus tantùm de cortice ſuccus,
Pectoris expurgat phlegmata craſſa tui
Hinc inteſtini ſolidabis vincula lapſi,
Oſſaq; quæ duro verbere fracta doles.
Nec aliam Aegyptus quantumuis fertilis herbam,
Quæ melius vulnus, ſanet & vlcus habet.

Vlmus. πτελέα. Ital. olmo. Gall. orme. Brab. yepenboom. Germ. Rüſt holtz: eſt procera, eſt lata. vtraque nota hodie & ædificijs conſtruendis expetita: humor in folliculis foliorum enaſcens, gũmi Vlmi vocatur, præſtás ad vulnera.

VMBILICVS VENERIS.

Illita rupturis prodeſt genitalia firmans,
Et ſtomachi ardores ſupprimit herba tui.
Sit cibus inde tibi multus, quo rene lapillos
Extrahat & corpus purget aquoſe tuum.

Vmbilicus Veneris, Perfoliata aliàs: quæ duplex eſt. Prima quam chirurgi qui ramices incidunt in hortis ſuis plantare conſueuerunt teretem ac tenuem profert caulẽ, ſurculis multis ramoſum, atq; is vnà cum ramulis ſingula folia penetrat, quę venis quibuſdam diſtincta, vtcunq; rotũda cum cacumine cõſpiciũtur, in cacumi-

cuminibus ſurculorũ capitula emicāt, & in
 flores ſublutei. Radix illi recta, breuis: hęc
t prima ſpecies illius plantæ quæ Dioſcoridi
4.c.87. κοτυληδών, Cotyledon, Acetabulum,
ymbalium & Scatuncellũ aliàs dicitur. Ger-
ani vocant Durchwachs. Alia ſpecies Coty-
donis ſiue perforatæ, quę vmbilicus Veneris
rſitan quod vmbilici prominentiæ ſuccur-
t) dicitur ſeu (vt Marcellus vocat) Aceta-
lum, ob foliorum quandam concauitatem.
er. Nabelkraut, lőffelkraut: priori ſimilis eſt,
mine, radice, caule & folijs, in hoc differt, qđ
lia eius quæ habet pinguia vbi è terra eru-
rint humi in ſtellæ figuram ſtrata procum-
t colore cineraceo prædita. Cordus hanc ſe-
dam cotyledonis ſpeciem quæ â Dioſcoride
ſcribitur Craſſulam maiorē eſſe ſtatuit: vm-
icus Veneris ſiue perforata, refrigerat, aſtrin
, abſtergit, humectat: in hydrope vtilis, in-
mmationibus, & ſacris ignibus.

VIRGA AVREA.

ilis ad magnos capitis cordiſq; dolores,
Ad renum lapidem, peſtiferamq; luem.
c datur vlceribus, cancriſq; recentibus herba,
Quæ ſtabilit curui vincula laxa coli.

Virga aurea. Ital. virga d'oro. Gal. verge do-
. Br. gulden roode, veteribus ignota eſt: qui-
ſdam vocatur Herba Iudaica. Ruellius inter
deritidis ſpecies eam enumerat. Caule eſt ru
te, bicubitali, folijs oliuæ, latiorib. & circum-

ſerratis, floribus in ſummitate caulium ſpicatis, aureis: ſiccat & calefacit.

VIPERA.

Sumat decoctas carnes elephanticus audens,
Quo rabiem bilis mitiget inde ſuæ.
Hæc oculis lucem iam caligantibus adfert,
Neruoſumq́ue iuuat ſæpe reſumpta genus.
Quod ſi ſub Tyrio trepidabunt corda veneno,
Viribus hæc ſpoliat dira venena ſuis.

Vipera. Tyrum vocant. Ital. vipera. Gal. vipere. Brab. adder. Germ. Nater. notum in Italia animal. Fœminę caput eſt latius, mari preſsius: caro iliarum calet & deſiccat, cuius vſu Galenus ſe duos Elephantiaſi laborantes, ſanatos ait ſe vidiſſe. Redigitur eam ob rem in paſtillos & ſales Theriacales.

VITIS.

Capreoli, frondes, ſuccusq́ue recentior vuæ,
Sedant ardores corporis eſa tui.
At lachryma in gummi concreſcens illita lepram
Terget, vbi epota eſt calculus aſper abit.
Vua recens ventrem purgat ſoluitq́ue ſuauis,
Nucleus aſtringit cœliacisq́ue valet.

Vitis vinifera. ἄμπελος οἰνόφορος. Ital. vite. Gal. vigne. Brab. wijnſtock. Germ. Weinreb. rebſtock. Eadem eſt vitis ſylueſtris Labruſca dicta, niſi quòd fructus eius nunquam maturatur, ſemperq́ue durus manet. Eſt alia vitis ſylueſtris quæ etiam Labruſca dicitur, toto quaſi

gener-

genere ab hac diuersa, quæ vbique locorum in siccis fossis, iuxta sepes, muros, & in dumetis prouenit, hederis quoque adnumerari potest, cum ipsa hederaceis sit folijs, quæ vno pedicu-lo quina plerunq; obtinet. Caudex eius viti vi-niferæ similis, & prælongas lentasq; spargit vi-ticulas, quibus fasces quoscunq;, quasi vincu-lo apte constringas, nam & ad eos vsus hæc vi-tis syluestris adhibetur. Florem Iunio mense producit niueum. Germani vocant Waldre-ben, oder Lynen. Radix cocta in aqua datur hy-dropicis: succus & flores cocti aut tusi, illitu, vi-tia ac asperitatem cutis, & maculas omnes ex-tergunt quales sunt papulæ, serpigines, & mor-phea. Redeo ad vitem: Vuæ illius immaturæ, & acerbæ astringunt, & frigidæ sunt, ex quibus fit agresta seu omphacium. Gal. Ver ius. Bra. Ver iuys. Vuæ maturæ calidæ & humidæ sunt & cito nutrientes, Vuæ verò passæ, Gal. raisins en raptz, & confits: tum etiam corynthiacæ illæ, Brab. karenten dictæ. Germ. kleine weinbeer-lin: vti bene nutriunt, sunt etiam hepati gra-tissimæ.

VRTICA.

Vlcera persanat, scabiem, colliq; tumores,
Et suppuratos exonerare potest.
Subditur in nares, sic fluxum sanguinis arcet,
Matricem tactu sic resilire facit.
Ad venerem stimulant potu data semina lentam,

Excutiunt crassum pectore phlegma tuo.
Quiq; diu lumbis lapides hæsere, potenter
E renum cogunt ductibus ire foras.

Vrtica. ἀκαλύφη. Ital. ortica. Gal. ortie. Brab. nettelen. German. Nessel. Inter vrticas sunt quędam vrentes, siue pungentes, quędam non pungentes: quæ Germanis vocantur Hanenkopff: quas ad Galeopsim referimus. Sunt etiam & fœtidæ vrticæ quæ in vetustis areis & sepibus proueniunt, de quibus hoc habe priuatim quod si contundantur & cataplasmatis instar apponantur phagedęnæ, quam Germani Den wurm vocant, breui eam enecabunt, reliquæ vrticæ decoctæ molliunt aluum. Radix quoque vrticæ magnæ & pungentis decocta, mirabilis est contra tusses & pulmonis frigida vitia.

VITEX.

Semine purgatur qui in ventre reconditur humor,
Soluitur & flatus, tormina dira ciens.
Estq; venenatis inimica afflatibus arbor,
Frangitur & succo sæpe petulca Venus.
Ad nimios vuluæ fastus suffire memento,
Ad capitis magnum suppostuisse malum.
Si tamen & castæ vitam sacrare Dianæ,
Mensq; pharetratæ est dedita tota deæ.
Nil opus aut syluas aut rura requirere, tantum
Hæc tibi pro duro strata sit herba thoro.

Vitex

Vitex. ἄγν@, ἢ λύγ@. Agnus castus & salix marina. Ital. Agnocasto Braban. Abrahams boome. Germa. Schaff müll. Frutex est in arborem assurgens ramis prelongis, fractu contumacibus, folijs oliuæ sed mollioribus, flore albo cum purpureo, interdum purpureo tantum, semen illi est vt piper, quo possemus vti loco Aspalathi: nam eo caremus. Semen constat partibus multis tenuibus, & flatus maximè discutientibus.

VERRVCARIA.

Pone verrucis, serpentum morsibus herbam,
At bibe quo bilis, quo pituita ruat.
Et quo febriles poßis diuertere motus,
Menstrua, quo vermes, pellere ventre tuos.

Verrucaria maior. ἡλιοτρόπιον. officinis, Herba cancri. Ital. herba de porri. Gallis, tornesol, quod ex ea fiant panni illi ad tincturam condimentorum coquis noti. Brabantis, somer wendt. Geman. Sonnen wirbel. Folia illi (vt aiunt, nam de ea controuersia est) ocimi, hirsuta, candida, flos effigie caudæ scorpionis. Ramuli ab radice terni aut quaterni, multis alis concaui, in cacumine flos illi subfuluus alioqui albus. Consule Matthiolum, aut Dodoneum.

VERNIX.

Sine temporibus, manantem è ventre cruorem,

Et bilis vomitum supprimis inde cape.
Tum distillantes noctesq; diesq; catharros,
Excipe suffitum quo remorere tuos.
Adde cruentatis ventris quod fluxibus obstet,
Phlegmaq; quod modico crassius igne coquat.

Vernix: gummi est iuniperi quod etiam sandaracha dicitur. Est interim & alia sandaracha græcorum eaque duplex: naturalis & factitia: hæc sandix est, colore ardente & rubente. Brabantis dicitur, berckrot. German. parijs root. Natiua verò est Auripigmentum siue Arsenicum luteum aut citrinum. Braban. rattecruyt. Goldgelbs oprement: vtrumque exitiale. At gummi iuniperi tuto intro assumitur & calefacit.

VINVM.

Exhilarat vinum, nutrit quoq;, viscera firmat,
Et facilè in quæuis corporis arcta meat.
Concoquit, & sumpto mens fit generosior illo,
Pallida purpureo membra colore nitent.
Inde redit vitæ nouus halitus, inde senectus
Florenti numerat tempora longa coma.
Inde aucto fertur genitali semine quondam
Mars Veneris niueum sollicitasse thorum.

Vinum. οἶνος. Ital. vino. Gallis, vin. Vinorum multa sunt genera quę require apud Galenum & Dioscoridem: vetus neruos lædit, nouum inflat, at ætate medium, syncerum, tenue

odora

odoratum, album, ſubflauum, ægris pariter & ſanis vtile: nigrum craſſum eſt & concoctu difficile, nutrit tamen. Dulce quale eſt Aruiſium, Gallis Maluiſee vocatum: Apianum quoque ſeu Phalernum. Brab. Moſcatel vocatum, inflat quidem, ſed renibus & veſicæ aptum: Auſterum inebriat. Acerbum digerit, & fluxiones cohibet. Vetuſtum vinum calidius eſt nouo. Muſtum parum abeſt à temperie.

FINIS.

s 3

simplicia 374

INDEX SIMPLICIVM

de quibus in hoc opere fit mentio.

conſo-

ſal

INDEX.

FINIS.

absynthium
anethum
anagallis
anisum
3+ asarum
adiantum
acorum
3+ aristolochia
asphodelus
artemisia
asclepias

basilicum
bruscus
betonica
barba capræ

chamomilla
carduus benedict.
calamintha
chelidonium
2 + cicuta
cyanus
4+ cornu cervini
2 + centaurium minus
4+ colocyntha
cyperus
4+ catapucia minor
3+ cichorium
cuscuta
caprifolium

dracuncul. s. d. m.
digitalis
daphnoides s. laur.

2 + Eringium
1 + Eupat. adulterinum
4+ Enula
4+ Elleborum nigr.
Ebulus

Ficus
filipendula
2 + Fumaria
Fraxinus

Genista
Gratiola

[illegible]
[illegible]
Hypericum
[illegible]
3+ Iris
Junc. odorata
Hyssopus

Lupinus
Lapathum
Ligusticum
Laurus
Lychnis coronaria
1 + Lupulus

Marrubium
Mercurialis
mandragora
Melilotus
[illegible]

Nasturtium
Nux Juglans

origanum

papaver [illegible]
pastinaca
pyreth.
3+ polypodium
3+ psyllium

1 | 2 2 | 2

19

porrum
polium
parthenium

raphanus
ricinus
ruta
rhaponticum
rhamnus

sabina
salvia
saxifraga
stechas
sinapi
spondylium
smyrnium
scilla
saponaria

tithymalus
tussilago
thymus
thapsia

ulmus
vuebilinus & dubia
urtica
vitex
verucaria

rosa ℥ j ad ℥ ij
viola ℥ j ad ℥ ij
sal ℥ vij ad viij
cucurbita ℥ iiij ad vj
granata ℥ iiij ad vj
+ fructus ℥ ij ad iiij
capill. ven. ℥ iiij ad lb
eupatorium ij ad iiij
Jun. b. de r. epili ad iiij
pruna ad lb ad lb ij
stechas ℥ b ad vj
tamarindi ℥ iiij ad vj
Lupulus ℥ j ad iiij
volubilis ℥ j ad iiij

12 9

cartham. ℥ iiij ad vj
cass. fist. ℥ j ad ij
centaurea ℥ iiij ad ℥ iß
fum. terrae ℥ j ad ij
epithymum ℥ iij ad viij
manna ℥ j ad ij
myr. cit. ℥ ij ad vj
rhabarbarum ℥ j ad iiij
sene ℥ iiij ad ℥ j

citrini
indi
chebuli
emblici
bellirici

galbanum
turbit
opoponax
sarcocolla
sagapenum

tamarindi
cassia
sene
rhabarbarum
agaric

Lupulus
eupatorium
cuscuta
centaurea
epithymum
fumaria

Nardus
aristolochia
ci clamen
polypodium
psyllium

cucumeris asinini
coloquintida
cataputia
esula
elleborus

Hoporitium

Hosscellaireta

5?

agaricus ℥ j ad ij
aloe ... ʒß ad ij
aristolochia ℥ j ad aur. j
asarum aur. j ad iij
hermodactili aur. j ad ij
lapis armeni ℥ j ad ij
mechiocan ℥ ß ad j
oppoponacum ℥ j ad ij
rislauid aur. j ad iiij
polypodium ℥ ij ad aur. iiij
psyllium ℥ j ad iiij
sarcocolla ℥ j ad ij
turbit ℥ j ad ij
iride ℥ j ad ij

malva
bismalva
viola
branca ursina
mercuriale
parietaria
porro
atriplex

mercurialis
parietaria
branca ursina
acetosa
...

rose
...
...

lactuca
portulaca
cicorea
endivia

anis
...
...
...
...
...
amomum
...
...

49.

cataputia ℥ iiij ad 6
coloquint. ... ij ad
...
helleb. nig. ℥ ß ad ℥ j
esula ... ij ad bij
euphorb. ... j ad iiij
... ℥ ß ad bij
... ʒß ad aur. j
stamonea ℥ ß ad ...

cinnamomum
nux muscata
cariofili
piper
zinzibere

mirobol. citrini
... indi
mirob. ...
mirob. ...
mirob. ...

tussilago
flores ...
...
papavere
papaver ...
... ...
...
buglossa
...
mora
...
...
ribes
...
limonia
granata
...
...
...
...

... ...
... ...
... ...
... ...
... ...

... ...
...
...
...

...
...
...
...
...
...
...
...
...
...
origanum
...
polium
...

saxifraga
...
...
...
...

[illegible] forte
[illegible]
Dolor [illegible] febrium [illegible]
[illegible] caloris [illegible] et frigiditatis [illegible]
paucum [illegible]
paucum et [illegible]

[illegible] complexio [illegible]
cum [illegible]
[illegible]
cum [illegible]

Urina pauca / epilentia [illegible] multarum dolore [illegible], febrium [illegible]
[illegible]
turbida [illegible]


Spissa humores commixtos sanguinis et phlegmatis / caliditatem et humiditatem
Subtilis [illegible] / [illegible] / [illegible] [illegible]
[illegible]

Urina [illegible] / [illegible] / [illegible]
complexionis frigidam

[illegible] / [illegible] / febrium [illegible] / [illegible]
[illegible] subtilis / [illegible] febrium
turbida / [illegible]
nigra / [illegible] / [illegible].

diaprunum liquidum ℥j
diaprunum solidum ℥jß
catholicum simplex ℥j
catholicum maius ℥iij (tabella una)
e succo rosarum ℥iijß (tabella una)
+ diacarthami ℥iijß (tabella una)
diaphenicon a ℥iij ad ℥ß
benedicta a ℥iij ad ℥ß
conf. hamech a ℥iij ad ℥ß

fab
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]



viola + et
rosa pallida et + [illegible] et [illegible] +
flore persici
[illegible]
grapuide
papaveris erratici
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
arteloca
[illegible] et [illegible] + [illegible] granata, [illegible] [illegible]

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible]
[illegible]
[illegible] de [illegible]

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

tussilago
[illegible]
borrago
calendula
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

rosa pallida [illegible]
[illegible]
flore persici
[illegible]
papaveris
papaveris erratici
[illegible]
[illegible]
arteloca

[illegible]
[illegible]
[illegible]

tussilago
[illegible]
[illegible]

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

fal
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

ensa do p̄ uēad
cibavit illos ex
imentū alla. Et qr
elle saciavit eos alla
ius saciātur. l. iiij.
figura precessit.
ma pluit deus
deserto q cotī
celi pascebant
nto. Unde d̄cm
panem angloꝝ
ducavit hō. Sed
panem illum qui
ducaverūt: oīs in
o mortui sunt
uī esca q accipi
te aūt panis vi
de celo descendit
terne gl'am ini
t. Et q cūqꝫ hūc
n manducaverit
oriet' in eternū
o' xpi est. Consi
tum sic p̄stan
panis angeloꝝ
ep' xpi q utiqꝫ ꝫ
otte. cenam iīd
. hoc sup celum.
n. lpc dm̄ celoꝝ
rruptionum obno
li i diem altium
etur. hoc aūe
oīm corruptōe
ꝫ eīn religiose
ent. corrupta

z mortuus. ut o

posit. qd est p

oim institutu

tutem denique hu

sacramenti nullus e

sufficit. p qd sp

dilecto in suo fo

stat. z recoliti

a illi q in passio

xpc monstrauit

lentissime karit

Vite uitam

karitatis imeg

dibz infigeret

i ultia cena qu

z discipulis celeb

siturus erat de

ad prem. Hoc s

institutu tanq

ms sue memor

henne figarum

ipletuu.

ab ipo fidorum

nidium. z de su

tis absentia sol

singlan. Gu a

Comedetis carnes

binnu panibz

ms que dedit no

ad uescendu. V

dedit nob pane

pr meus dat uo

celo uerum. Iste

Conuenit

uotoi fide

